This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

23C 798

Digitized by Google

Národní knihovna ČR
Historické fondy
23 C 798
Národní knihovna
1003026797
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# DE SUPPLICIO ÆDIFICIORUM
## SUB DIOCLETIANO IMPERATORE
# EXCURSUS
## HISTORIOGRAPHO-CRITICUS

AUCTORE

JOANNE JOSEPHO PAULOVICHIO LUCICHIO

*J. U. D. Patricio, Canonico, & Provicario Generali Macarenſi, Socio Etruſco, Volſcorum, Spalatenſium, Jadratinorum, Inſignis Regiæ Neapolitanæ Arcadiæ Sebethidos Laureato, Conſtantium Taurinenſium, Unanimium vero Cenſore &c. &c.*

VENETIIS MDCCLXXXXVI.

EX TYPOGRAPHIA COLETIANA

*Superiorum Venia.*

Digitized by Google

*Præpoſuit itaque eis magiſtros operum, ut affligerent eos oneribus: ædificaveruntque urbes tabernaculorum.* Exodi cap. 1. v. 11.

*Veteribus potius in lucem revocandis reliquiis operam demus; & ſimus aliquando doctæ antiquitatis potius quam inanis novitatis ſtudioſi.* Franciſc. Bald. rel. a Diar. Eccleſ. Roman. Tom. II. fol. 15.

23C 798

Digitized by Google

SS. MARTYRIBUS. DIVISQUE. SALONITANIS. DALMATICIS.

CAJO. P. P. DIOCLETIANI. IMPER. PATRUELI.
GABINIO. ROM. ECCLESIÆ. PRESB. CAJI. FRATRI.
CLAUDIO. TRIBUNO. EJUSD. IMPER. PATRUELI.
MAXIMO. TRIBUNO. PARITER. PATRUELI.
ALEXANDRO. CLAUDII. FILIO.
SUSANNÆ. GABINII. FILIÆ. VIRGINI.
ARTHEMIÆ. DIOCLETIANI. FILIÆ. VIRGINI.
PREPEDIGNÆ. UXSORI. CLAUDII.
CUTHIÆ. CLAUDII. FILIÆ.
SERENÆ. DIOCLETIANI. UXSORI.

VARIO. MORTIS. GENERE. SUB. EODEM. DIOCLETIANO. DIRE. INTEREMPTIS.

IN. ÆTERNUM. VICTURIS.

DE. IMPIISSIMO. PARENTE. DE. CARNE. ET. SANGUINE. DEQUE. SEIPSIS. IN. CÆLIS. PERPETUO. TRIUMPHATURIS. DALMATICAM. ECCLESIAM. APUD. DEUM. ADSIDUE. PROTEGENTIBUS. CONTRIBULESQUE. SUOS. PER. MULTAS. TRIBULATIONES. AD. REGNUM. CHRISTI. OBTINENDUM. OMNIGENO. VIRTUTUM. EXEMPLO. PERAMANTER. PROVOCANTIBUS. OMNIBUS. ETIAM. TUM. INDIGENIS. TUM. ALIENIGENIS. CHRISTI. ATHLETIS. OPELLAM. HANC. EX. DIOCLETIANEÆ. SÆVITIEI. MONUMENTIS. COMPACTAM. QUOD. EA. SANGUINE. AUT. SUDORE. SUO. PRETIOSO. VIRILITER. LEGITIMEQUE. CERTANTES. PERFUDERINT.

JOANNES. JOSEPH. PRESB. PAULOVICHIUS. LUCICHIUS.

DALMATA. MACARENSIS.

DE. EORUM. APUD. DEUM. PATROCINIO. PLURIMUM. CONFISUS.

D. D. D.

Digitized by Google

Digitized by Google

# AUCTORIS AD LECTOREM

## PRÆFATIO.

*Peregrinationem quamdam, erudite Lector, inſtituere parati ſumus, non quidem corpore perficiendam, ſed mente. Iter aggredimur ad animo luſtranda Ædificia omnia, & ſubſtructiones, in quibus vere inauditæ feritatis ingenium exſeruit totius Dalmaticæ gentis noſtræ opprobrium ſempiternum, impius Imperator Diocletianus. Te humanum peregrinationis hujus noſtræ comitem expetimus. A quotidianis vocationis noſtræ curis parum ſecedere cogimur, ut animi relaxationi hocce Bacchanalium tempore aliquantulum indulgentes, ex amœno iſtiuſmodi ſtudio iterum revertamur in idipſum. Dum igitur infirmitati noſtræ levamentum aliquod quærimus, Supplicii Ædificiorum genus ſub Diocletiano Chriſtianis maxime illatum hoc hiſtoriographo-critico excurſu pro ingenioli imbecillitate enucleare conſtituimus, ut videlicet quidpiam adjumenti ad Decimæ Perſecutionis obumbratam hiſtoriæ perſpicuitatem conferamus, teque, Lector humaniſſime, veluti per quaſdam Martyrum ſtationes manu ducentes, ad meditandas imitandaſque plurimas, quas in tali graviſſimo ſupplicio exercebant virtutes, incitemus. Quidquid in hoc pertractando argumento nos prætermiſiſſe compereris, illud tu vel æqui bonique facere memento, vel de uberrimo eruditionis tuæ theſauro depromptum enixe petenti tribue. Vale.*

Digitized by Google

# OPELLÆ INDICULUS.

*Cap. I. De Origine, gravitate, & fine Supplicii Ædificiorum.* Pag. 1.
*Cap. II. De Salonitanorum Ædificiorum Supplicio.* 4.
*Cap. III. De Nicomedienſium Ædificiorum Supplicio.* 7.
*Cap. IV. De Ædificiorum Diocletianei prope Salonam Palatii Supplicio.* 9.
*Cap. V. De Ædificiorum in Thermis Africanis Supplicio.* 11.
*Cap. VI. De Ædificiorum in Thermis Romanis Supplicio.* 13.
*Cap. VII. De Ædificiorum Supplicio in Arimini reædificatione.* 15.
*Cap. VIII. Series recenſentur annorum, quibus in Dalmatia & Illyrico Diocletianus diverſatus eſt.* 17.
*Cap. IX. De Ædificiorum Supplicio in urbe Epetio, ſeu Valeria.* 19.
*Cap. X. De Ædificiorum Supplicio Corcyræ Melænæ.* 20.
*Cap. XI. De Ædificiorum Supplicio in quibuſdam inſignibus Dalmaticis Subterraneis.* 21.
*Cap. XII. De Ædificiorum Supplicio in Thermis Dalmaticis.* 25.
*Cap. XIII. De Ædificiorum Supplicio extra Illyricum, vel etiam in Illyrici finibus.* 32.
*Marmor in Oneo Peutingeriano nuper repertum.* 35.

Digitized by Google

# DE SUPPLICIO ÆDIFICIORUM
## *SUB DIOCLETIANO IMPERATORE*
## E X C U R S U S.

### C A P U T I.

*De Origine, gravitate, & fine Supplicii Ædificiorum.*

IN ipſo delibandi hujus argumenti initio præ implexarum rerum inextricabilitate torpet quidem ingenium, hæret calamus. Vetus fuit, atque eſt doctorum (1) hominum querela, permixta admodum ac turbata eſſe omnia, quæ Diocletiani tempora, & Acta reſpiciunt. Chronologia ipſa, quæ (2) rebus geſtis facem præferre ſolet ſplendidiſſimam, per illa tempora ſic erat præſidiis deſtituta, ut quæ diverſis annis accidiſſe nunc novimus, tunc non ſecus, ac ſi uno evenerint tempore, relata accepimus. In ſumma igitur Diocletianeæ Hiſtoriæ & Chronologiæ obſcuritate digito cælum profecto attigiſſe videbimur, ſi pro rei veritate, & dignitate ſuſceptum extricabimus argumentum. Atque ut cuncta ex ordine fiant, de origine, de gravitate, & fine Supplicii Ædificiorum in primis nobis breviter ſupereſt inquirendum. In Scripturis Sanctis Pharao primus nobis occurrit, qui iſtiuſmodi ſupplicii genus excogitavit. Hinc divinus Exodi (3) Liber ſic habet: *Et ait* ( Pharao ) *ad populum ſuum: Ecce populus filiorum Iſrael multus, & fortior nobis. Venite, ſapienter opprimamus eum, ne forte multiplicentur .... Præpoſuit itaque eis magiſtros operum, ut affligerent eos oneribus: ædificaveruntque urbes tabernaculorum Pharaoni, Phitom, & Rameſſes. Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & creſcebant.* Verum gravitatem cruciatus Ædificiorum ſub Pharaone magis magiſque intelligere cupientes in memoriam revocent oportet, opera Hebræis impoſita ab Ægyptiis fuiſſe præ cæteris formare lutum in (4) lateres,



(1) Baronius in Annal. Eccleſ. ann. 304. num. 1. (2) Pagius ad ann. 296.
(3) Cap. 1. ver. 9. 10. 11. 12. (4) Exodi cap. 1. v. 14.

res, eos igni excoquere, graviſſimas humeris ſarcinas vehere, imperioſis exactoribus ſubeſſe, qui urgentes opus laſſis nullam dabant requiem. Quod ſi ipſarum urbium ædificia inſpexerimus, ea laborioſa valde fuiſſe novimus, quippe quæ talibus efformandis urbibus inſerviebant (1), in quibus Ægyptiorum opes, & theſauri, ut publica frumenta, oleum, vinum &c. recondebantur: ex quo patet eaſdem urbes propugnaculis munitas, mœnibuſque admodum firmis concluſas, maximo filiorum Iſrael cruciamento ſtetiſſe. Duriſſimi hujus Hebræis injuncti operis finem adſequutus eſt Philo, qui eos ædificiorum ſupplicio ideo a Pharaone excruciatos ſcribit, ut videlicet Iſraelitæ viribus enervati, atque nimio labore confecti, generandi, ſeque propagandi facultatem amitterent, ſicque preſſi anguſtiis, longa tandem ſævaque moriendi ratione omnes interirent.

Jam vero Diocletianus novus in orbe Chriſtiano Pharao, qualiter in inferendo Ædificiorum Supplicio crudelitatem, immanitatemque antiqui Ægyptiorum regis fuerit æmulatus, ex iis, quæ in rem Lactantius Firmianus ſcripta reliquit, pronum erit intelligere. Audiamus imprimis Lactantium Diocletiani (2) verſutiſſimam calliditatem depromentem in hæc verba: *Nam erat hujus malitiæ: quum bonum quid facere decreviſſet, ſine conſilio faciebat, ut ipſe laudaretur: quum autem malum, quoniam id reprehendendum ſciebat, in conſilium multos advocabat, ut aliorum culpæ adſcriberetur, quicquid ipſe deliquerat.* Et paulo (3) infra: *Diocletianus vero*, ait, *qui ſemper ſe volebat videri aſtutum, & intelligentem* ... Hac itaque præditus vaferrima carnis prudentia, quæ ſemper eſt inimica Deo, priuſquam ſanguinariæ in Chriſtianos perſecutionis principium faceret, Ædificiorum Supplicio Chriſtianum nomen penitus e medio tollere conatus eſt; eamdemque animi crudelitatem, quam aſtuta imperandi ſcientia contegebat, prodere non dubitavit, cum in Nicomedienſi (4) habito inter ipſum, atque inter Galerium conſilio de perſequendis Chriſtianis, in ea ſententia firmus ipſe permanſerit, ut ſine ſanguinis effuſione Pharaonica immanitate delerentur Chriſtiani. Hinc Diocletianum Galerio repugnantem ſic oſtendit Lactantius (5): *Diu ſenex furori ejus repugnavit, oſtendens, quam pernicioſum eſſet inquietari orbem terræ: fundi ſanguinem multorum: illos libenter mori ſolere.* Et poſt pauca (6): *Hanc moderationem tenere* Diocletianus *conatus eſt, ut eam rem ſine ſanguine tranſigi juberet, quum*

Cæ-

(1) A Lapide in præfatum Exodi locum.
(2) De Morr. Perſec. cap. 11. fol. 80. Romæ 1759. (3) Idem ibid. cap. 14. fol. 91.
(4) Lactantius lib. cit. cap. 10. fol. 75. (5) Cap. 11. fol. 79.
(6) Cap. 11. fol. 82.

Digitized by Google

*Cæſar* Galerius *vivos cremari vellet, qui ſacrificio repugnaſſent*. In eadem Lactantii ſententia deprehenditur fuiſſe Euſebius (1), & Baronius: quæ omnia pulcherrime Salonitana confirmat (2) Hiſtoria in hæc verba: *Tunc Diocletianus tale moderamen ſuæ voluit adhiberi ſævitiæ, dans legem, ut qui nollet a Chriſtiana cultura recedere, non ut prius ſtatim capite plecteretur, ſed bonis omnibus expoliatus, ad diverſa metalla, & ad fodiendas arenas exſul patria damnaretur. Itaque in diverſis mundi partibus juſſit Imperator ob Auguſtalem memoriam multa ædificia erigi, ad quorum laborioſas operas damnatitios quoſque maxime Chriſtianos mitti præcepit.* Ex quibus quidem colligere fas ſit, Diocletianeam perſecutionem, quæ eo præſente in Chriſtianos fiebat, ut plurimum in irroganda Ædificiorum pœna efferbuiſſe: quapropter quocumque ſuus eum furor ferebat, ibidem in erigendis inſanis fabricis, ac immenſis ædificiorum molibus occupatum inveniemus: non quod etiam alio atque alio cruciamentorum genere Chriſtianos non affecerit; nam eo Chriſti Eccleſiam perſequente, quibus unquam tormentorum generibus, iiſque ſæviſſimis in Chriſtianos ipſe non animadvertit? Ad oſtendendam animi ſui ferme inauditam in hoc feritatem ſatis ſit intelligere, Diocletianum carnificis etiam officio fuiſſe perfunctum. Tantæ ipſius crudelitatis teſtis eſt præ cæteris Lactantius, qui poſtquam Nicomedienſis ſui Palatii partem quamdam conflagratam recenſuit, Diocletianei furoris exceſſum his verbis exſequitur (3): *Ira inſlammatus, excarnificari omnes ſuos protinus præcepit. Sedebat ipſe, atque innocentes igne torrebat.* Eo ſiquidem amentiæ, ac ſerpentinæ rabiei devenerat, ut ſæpe Imperatoriæ majeſtatis oblitus Auguſtalem dignitatem ignominioſis æque ac truculentiſſimis actibus deprimeret, deturparetque. Verumtamen fictæ ſibi clementiæ famam plus nimio aucupabatur: dumque impius parricida tyrannico more Chriſtianos perſequitur, humaniſſimum ſe in omnes ferino aſtu jactitabat. Sed quemadmodum ex fructibus arbor, ex ungue agnoſcitur leo, ita & Diocletiani ſolum nomine tenus clementia ex immanitate, & ſævitia, qua cultorum Chriſti necem, extremumque machinabatur exitium, liquido deprehenditur. Jam Diocletianus in Catholicæ Eccleſiæ ruinas conjuraverat; jam Ædificiorum Supplicio Chriſtianum nomen penitus delere ſatagebat: hinc inſatiabilis eum cupido invaſit, fideles omnes duriſſimo laborum pondere opprimendi. Quapropter plurimis e militia cum probro dimiſſis, omnibus vero in miſeranda



(1) Cap. 3. (2) Tit. de Conſtructione Ædificii, quod Spalatum nuncupatur.
(3) Cap. 14. fol. 91. 92.

ultimæ ſervitutis agmina conglomeratis, alios ad lapides excidendos mittebat, alios ad arenam effodiendam deputabat, alios ad lateres efformandos coquendoſque amandabat, alios perurgebat ad onera convehenda, & cætera hujuſmodi munia præſtanda, quæ jumentorum erant, aut mancipiorum infimæ ſortis. Graviſſimis hiſce laboribus attriti Confeſſores Domini, plerique miniſterii duriſſimi calamitatibus, fame, ſiti, aliiſque ærumnis confecti, alii gladio percutiebantur, ut Saturnino, & Siſinnio contigit; alii uſque ad necem verberibus cædebantur, ut cum Papia & Mauro geſtum eſt; alii demum alio lethi genere illuſtria Chriſtianæ religioni dabant teſtimonia. Has aliaſque longo atque crudeli martyrio Chriſtianos interimendi Diocletianeas artes omnes fere Martyrum hiſtoriæ produnt atque confirmant. Quidquid ergo horribilitatis, ærumnarum, ſqualoris, defatigationis, longæque multiplicis internecionis breviter hic intuiti veluti per quamdam umbram ſumus, dum gravitatem, & finem Supplicii Ædificiorum evolvebamus, illud ſibi Lector noſter in memoriam reducat oportet, quoties ad alias inſtituti hujus noſtri itineris ſtationes illi nobiſcum erit commigrandum. Quoniam vero, Chronologia ut plurimum duce, Ædificia Suppliciorum ex ordine inviſenda decernimus, prout ea prius conſtructa fuiſſe deprehenditur, ab Fabricis Dalmaticis Salonitanis enarrandis ducimus initium. Quamvis enim annum præciſe invenire nequiverimus, quo Diocletianus rerum potitus cæperit Salonam ædificiis augere, ad veritatem tamen propius accedere videbitur, qui (1) infinitam ædificandi cupiditatem ab Diocletiano Dalmata genere in patria ſua in primis expletam fuiſſe judicabit.

## C A P U T II.

### *De Salonitanorum Ædificiorum Supplicio.*

QUi in rerum ſub Diocletiano geſtarum cognitione verſantur, illi quidem probe perſpiciunt, quod ipſe per ſummam improbitatem efferati crudelitatem animi clementia tegere volebat. Quare ut expetitæ ſibi clementiæ famam colligeret, omnium voluntates ad ſui benevolentiam allicere putabat, cum beneficentiæ titulo nova ubique excitabat ædificia. Verum dum hiſce artibus perſuadere conabatur ſe hominum amatorem eſſe, & Imperii fortunam ædificiorum multitudine augere, Supplicio ipſo Ædificiorum provinciis va-

(1) Lactantius loc. cit. cap. 7. fol. 57.

Digitized by Google

vaſtitatem inferebat. Eodem itaque ſupplicio prima crudelitatis ſuæ fundamenta jecit, cum Chriſtianos adegit ad Salonam urbem ſuam ædificiis ornandam augendamque. De hac ipſa, qua Diocletianus efferbuit, ædificandi cupidine, quaque ad patrium ſuæ nativitatis ſolum fabricis extollendum omni ſtudio operaque incubuerit, teſtem damus Conſtantinum (1) Porphyrogenitum, qui ſic ſcriptum reliquit: *Urbem Salonæ a Diocletiano Imperatore conditam fuiſſe*. Quæ quidem Porphyrogeniti verba prudenti ſunt ingenio penſitanda: nam non ea ſic accipienda ſunt, ut indigitent ab Diocletiano primum angularem Salonitanæ urbis lapidem fuiſſe fundatum, quippe quæ primitus Hyllena, atque Silena vocitata, Trojaniſque temporibus æqualis, origine extitit quidem antiquiſſima; ſed oſtendunt, Diocletianum velut alterum parentem, & Salonæ conditorem jure habendum ex eo, quod omnes hujus urbis partes & deſcripſerit elegantius, & magnificentius vel reſtituerit, vel ornaverit adeo, ut ex vetere novam quamdam urbem effeciſſe videretur, idque duriſſimo Chriſti fidelium ſudoris, & vitæ impendio. Quantum conjicere licet, nemo Salonam ab Diocletiano ſplendidiſſimis ædificiis auctam fuiſſe dubitabit, qui noverit in hac urbe ſedem fieri juſſiſſe Diocleæ matri ſuæ, quæ ex Thomæ Archidiaconi ſententia, Dalmatiæ regimini primum a filio præpoſita, inde poſtea ſub Demoſthenica Dalmatarum defectione fuerat expulſa. Frequens etiam Diocletiani ad hanc ipſam urbem acceſſus, atque ejuſdem una cum Maximiano Herculio ex conſtituto habitus Salonæ conventus anno 299., de quo ad nos uſque memoriam tranſmiſit Nicephorus (2) Calliſtus, non contemnendas quidem nobis tribuit judicandi rationes, inſanum ipſius in patriam amorem ab Diocletiano fuiſſe teſtatum immenſa, Chriſtianiſque operoſa æque ac defatigante ædificiorum ſtrue. Salonam igitur Porphyrogenitus (3) merito dicit fuiſſe olim totius Dalmatiæ caput, quippe quæ urbs Illyricorum Conventuum præſtantiſſima, omnes Dalmaticas Civitates opulentia, magnitudine, & dignitate facile ſuperabat. Veterum Scriptorum teſtimonio comprobatum accepimus, nulla eo tempore loca civitatis nomine fuiſſe digna, in quibus cives non prætorium, non gymnaſium, non theatrum, non forum, non balneum haberent. His omnibus pro urbis amplitudine, nobilitate, & magnificentia Salonam præfulſiſſe minime quidem ambigimus: ad cujus inſuper majorem dignitatem adſtruendam illas nos triplicis generis officinas, ad uſum, commodumque rei publicæ Salo-

næ

(1) De Admin. cap. 30.
(2) Lib. 7. cap. 20.
(3) Loco cit. cap. 30.

Digitized by Google

næ inſtitutas commemoramus, quas Notitia Dignitatum Imperii Occidentalis recenſet, Fabricam armorum nimirum, ubi caſſides, cataphractæ pectus tegentes, ocreæ, manicæ ferreæ, hiſque ſimilia fieri conſueverant; Baphium, officina opificibus attributa, qui laneas, ſeu ſericas Principum veſtes, purpureo, & coccineo ſucco ibidem tingebant; & Gynecium, interior ædium locus, ubi mulieres degebant, remque publicam veſtiariam Principis, ac militum curabant. Verum ex tot tantiſque perveruſtis Romanæ antiquitatis ædificiis vix quidem trium nunc extat memoria, videlicet Amphitheatri, Navalis, ac Templi Jovis. Quæ adhuc ſuperſunt veſtigia in Salonitanæ urbis angulo, Amphitheatrum fuiſſe oſtendunt magnificentia, & nobilitate ſane præſtantiſſimum. Sumptuoſiſſimam hanc fabricæ molem præ cæteris Salonitanis ædificiis Diocletiani ingenio & feritate conditam non improbabili conjectura putamus, cujus ſententiæ ſponſorem damus Clariſs. Farlatum, qui in ſuo Illyrico (1) Sacro ſcribit, eum non longe a veritate aberrare, cum de Diocletiano Amphitheatri Salonitani authore ipſum cum eodem Farlato contigerit ſentire. Hujuſmodi ædificia Romæ primum exorta, trinaque in Urbe olim conſtructa fuiſſe novimus ex eo, quod unius author Statilius Taurus in monte Cælio, alterius inter Cælium & Exquilinum erecti Flavius Veſpaſianus, Tituſque ejus filius, tertii denique in Campo Martio exædificati Trajanus extiterit. Romanorum ædificiorum magnificentia cumulatæ aliæ atque aliæ eorum urbes, & coloniæ, ſuis fuerunt Amphitheatris inſignes, atque hac eadem de cauſa plura hujuſmodi Amphitheatra etiamnum vel ſemiruta, vel integra ſuperſunt, videlicet Nemauſi in Gallia, Polæ in Iſtria, Placentiæ & Veronæ in Italia. Amphitheatrum omnium mirabiliſſimum erat quondam illud Perinthicum, quæ eſt urbs in Propontide ſita, Mygdonia aliquando, Heraclea, & Perinthus appellata. In Græc. Menologio (2) Perinthum Thraciæ urbem legimus commemoratam. De ea Poeta incertus apud Bauldrium ſic canit:

*.... Quæ magna Perinthus*
*Ante fuit, priſcum mutavit Heraclea nomen.*

Olim erat quidem urbium clariſſima vel etiam ex eo, quod tali tantoque exornabatur Amphitheatro, ut maxima ipſius amplitudo, & ſtructura, uno eoque integro (3) marmore conſtiterit.

Jam vero ad Salonæ ædificia revertamur. Impares nos profecto æſtimamus, qui perveruſtæ urbis venuſtatem, ædium amplitudinem, ſum-

(1) Tom. I. part. 3. Proleg. cap. 1. §. 4.
(2) Ad diem X. Maji.
(3) Diodor. Siculus lib. 15.

ſumptuoſitatemque verbis exæquare valeamus. Adumbratam Salonæ imaginem in Civitatis ipſius Iconographia inſpici poteſt in Tomo I. Illyr. Sacr. pag. 276; quæ eo plus commodi ac voluptatis affert, quo facilius libentiusque corporeas quiſque res oculis expetit perluſtrare, quam cogitatione percurrere, quamque, ſi licuiſſet, hic etiam ex æreo typo exhiberemus. Ectypon hocce urbis Salonæ Venetiis ex antiquo Codice a Vincentio Paterno Presbytero ſumma cum fide & diligentia deſcriptum anno poſtremo proximi ſæculi, acceptum referat qui hæc legerit, præſtantiſſimo meo olim Macarenſi Epiſcopo Nicolao Blancovichio ſeu Biancovich, Viro eximia doctrina, & ſanctitatis fama etiam apud Turcas celeberrimo. In qua (1) quidem Blancovichiana Salonæ Tabula quid pulchritudine, & magnificentia præſtantiſſimum intueri non licet? Plures in ea porticus exhibentur, Forum, Curia, Templa, Pyramides, & Obeliſci exſurgunt, Aquæductus inſpiciuntur, quibus aqua incluſa confluenſque tota urbe circumferebatur; ædificia ſpectantur numero, ordine, amplitudine nobiliſſima, platearum areæ, viarumque interjectarum ſemitæ patent. Unum tantummodo ſupereſt in eodem Ectypo deſiderandum, notæ ſcilicet, quibus opus erat ſacra a profanis ſecernere, Diocletianea ab aliis diſtinguere, publica a privatis urbis locis internoſcere. Amphitheatrum quoque transferendum eſt ab orientali Salonæ angulo, rejiciendumque in occidentalem, ubi in hodiernam uſque diem ejus viſuntur veſtigia.

## CAPUT III.

### *De Nicomedienſium Ædificiorum Supplicio.*

Lactantio potiſſimum nos debere profitemur, quidquid de Nicomedienſium ædificiorum amplitudine, numero, & maximo a Chriſtianis in eorum extructione perpeſſo labore vetuſtas ad nos uſque tranſmiſit. Annum, quo hæc acta Nicomediæ fuerint, Lactantius nobis deſiderandum reliquit. De eo reperiundo vehementer ſolliciti, quæ de anno Lectori noſtro occurrere poterat, difficultatem ſic extricandam eſſe putamus. Ex lege ab Diocletiano, Maximo II. & Aquilino Coſs., Nicomediæ Kal. Febr. lata arguimus, Diocletianum ibidem hyemem totam tranſegiſſe: cumque M. Junius Maximus, & Aquilinus Conſulatum geſſerint anno ab Urbe condita 1037., qui fuit Chriſti 286., legitimo conſectario adſtruimus inferendum,

Ni-

(1) Illyricum Sacrum Tom. I. de urbe Salona, Venetiis 1751. fol. 276.

Digitized by Google

Nicomedienſia ædificia ab Diocletiano erigi cæpta eſſe ipſa hyeme anni 285. Sic itaque anno ædificiorum Nicomedienſium conſtituto, ipſa, quæ a Lactantio referuntur, ædificia breviter nunc nobis ſuiſmet ipſius verbis commemoranda ſuperſunt. Inſaniam ſimul, & feritatem animi de ſupremo Chriſtianorum omnium exitio, & clade percupidi, jam illo mirifico, quo exæſtuabat, ædificandi ſtudio contegere ſatagebat Diocletianus. Nihil ergo penſi habuerat, exactionibus, tributis, & Chriſtianorum abductione Provincias exhaurire, dum ſibi ſuppeteret, unde ſumptus fierent, operariorumque numerus non deeſſet, qui eas immanes moles, inſanaſque ſubſtructiones perficerent, quas ipſe animo, & mente in Chriſtianorum ruinam conceperat. Quæ omnia ipſiſſimis Lactantii verbis efferre, veritati valde quidem novimus congruere. Sic igitur (1) inquit: *Huc accedebat infinita quædam cupiditas ædificandi, non minor provinciarum exactio, in exhibendis operariis, & artificibus, & plauſtris, & omnibus, quæcumque ſint fabricandis operibus neceſſaria. Hic Baſilicæ, hic Circus, hic moneta, hic armorum fabrica, hic uxori domus, hic filiæ. Baſilicas* in plurali, & Templa, & Regias Ædes, cauſarum cognitioni deſtinatas, dicimus hic accipiendas. Atque hæc eadem ædificia quam maximum Nicomediæ ſpatium occuparent, ipſaque magnitudine quam formidando ſupplicio Chriſtianos afficerent, teſtantur ejuſdem Lactantii verba, quæ ſubſequuntur: *Migrabant omnes cum conjugibus, & liberis, quaſi urbe ab hoſtibus capta*. Sola Diocletiani Imperatoria Nicomedienſis domus quantæ magnitudinis fuerit, quis unquam enarrando ſufficiet? Pervetuſti enim apud Romanos Imperatores moris fuiſſe ſcimus, ut Ædes Imperatoriæ quamcumque Provinciæ civitatem amplitudine (2) ſuperarent. Diocletiani vero ſævum ædificiis Chriſtianos dire vexandi ingenium produnt hæc alia: *Et quum perfecta hæc fuerant cum interitu Provinciarum, non recte facta ſunt, ajebat; alio modo fiant. Rurſus dirui, ac mutari neceſſe erat, iterum fortaſſe caſura*. Vide inhumani hominis in homines inauditam feritatem! Quid amplius in rem effari licet? Nicomediam totius Bithyniæ Metropolim adeo inſano amore Diocletianus dilexiſſe videbatur, ut ea velut totius Romani imperii arce, & ſede primaria deſignata, alteram Romam ædificiorum magnificentia efficere volebat: *Ita* (ait ibidem Lactantius) *ſemper dementabat, Nicomediam ſtudens urbi Romæ coæquare*.

Quod ad Circum attinet, licet quidam ſe omnino ignorare fatean-

(1) De Mort. Perſec. cap. 7.

(2) Vide la *Storia degl' Imperatori Romani del Sig. Crevier tom. 16. tit. Palazzo. Venezia 1790. pag. 272.*

reantur locum, ubi proprie fuerit Diocletiani Circus ædificatus, ex verborum tamen contextu clare perſpicitur, Lactantium hic de Nicomedienſi Circo, aliiſque ædificiis ab Diocletiano ibidem excitatis ſermonem facere voluiſſe. Circum enim, quem Nicomediæ extruxerat, anno 304. exeunte ab eodem Diocletiano dedicatum (1) fuiſſe reperimus. In ampliſſimo Circi loco, qui muris ſeptus erat, equi, pugileſque exercebantur, ludi fiebant, patebantque (2) proſtibula. Magna ſemper populi frequentia Circum veteres celebrare conſueverant, cum eo convenire ſolerent extra ludorum tempora, ludicrarum artium profeſſores, Circitores, Phyſiognomi, ſomniorum Conjectores, aliique hujus furfuris nebulones. Quod hujus ædificii reſpicit amplitudinem, cum Lactantius abſque alio additamento Circum abſolute dicat, tu quidem, Lector, Maximum intellige (3), atque ex tanti ædificii mole, aliarumque Nicomedienſium ſubſtructionum quantitate conjice potiſſimum formidandi Ædificiorum Supplicii gravitatem.

## CAPUT IV.

### *De Ædificiorum Diocletianei prope Salonam Palatii Supplicio.*

IN rebus, quæ maximi etiam momenti eſſe reputantur, ſolent quandoque homines inſanire. Non unius Diocletiani ſtultitia tanta fuit, ut in ædificando Salonitano Palatio, quod nunc Spalatum dicitur, ſolus ipſe opes, & vires ſubditorum ſibi populorum impio labore inſumpſerit: quinimo Diocletianus in hoc Neronis faſtum æmulavit, qui tantæ magnitudinis Palatium Romæ ſibi in Exquiliis erigendum curavit, ut ex Taciti, & Suetonii teſtimonio, maxime mirandi operis famam ædificiorum amplitudine & ſplendore fuerit conſequutum. Hinc arguto illo ſimul atque cenſorio, quod idem Suetonius (4) refert, Epigrammate notaverat olim quidam aureum idem appellatum Neronis Palatium, quod ſub Trajano Principe poſtea flammis abſumptum periit:

*Roma domus fiet; Vejos migrate, Quirites:*
*Si non & Vejos occupat iſta domus.*

Verum nos de inſigni penes Salonam erecto ab Diocletiano Palatio



(1) Crevier cit. tom. 15. pag. 118. (2) Teſtatur Juvenalis Sat. 3. v. 65.
(3) Vide Lexicon Latin. Jacobi Facciolati tit. Circus tom. 1. Patavii 1752. fol. 146.
(4) Sueton. Ner. 39.

ſermonem breviter facturi, in exquirendo fundationis ejus anno nihil immorabimur, cum ab Clariſſimo Farlato idem ædificium cæptum referatur anno (1) 286., eo videlicet tempore, quo Diocletianus poſt bipartitum cum Herculio Romanum orbem, ex itinere Dalmatiam inviſit, Salonamque conceſſit. Dum igitur has Ædes ſane Imperatorias curat extruendas eo conſilio, ut Diocleæ matri ſuæ de habitatione plane regia ac magnifica accommodaret, fero, ac pene inaudito more Chriſtianos perſequitur, eoſque laboribus, & calamitatibus exeſos incruenta quidem, ſed cæde plurimum ſæva de medio tollere feſtinat. Qui perpeſſos ibidem cruciatus a fidelibus mente aliquatenus adſequi exoptat, omnes & ſingulas tanti Ædificii partes inſpiciat oportet. Nos eas verbis exequi nequaquam poſſe profitemur, quippe quas Porphyrogenitus in præclaro ipſius opere de Adminiſtrando Imperio ad Romanum filium (2) præ cæteris, quas ille inſpexerat, antiquorum fabricis, ſplendore & magnificentia ſatis conſpicuis, aſſerit adeo præſtare, ut omnino deeſſe putet adæquatam ordinis, amplitudinis, & magnificentiæ rationem ipſum deſcribendi. Ne quæſo nobis vitio vertatur audaciæ, ſi periculum facere decernimus, præcipuas ejuſdem Palatii partes recenſendi, ut ex iis adſequi quiſque valeat & Ædificii vere inſignis præſtantiam, & in eo extruendo perpeſſorum ab Chriſtianis laborum duritiem. Ex ſingulis igitur, quæ in magnificentiſſimo Palatii Diocletianei Ædificio tum ornamenti, tum commoditatis, uſuſque cauſa extitiſſe etiamnum conſpiciuntur, Ædem inter antiquas ſplendore ſimul atque pulchritudine facile principem fuiſſe affirmare non dubitamus. Nam præter elegantiam, aptamque partium compoſitionem, quæ olim in quolibet, ut ita dicam, Palatii hujus vel parvo renidebant lapide, extabat in eo Peryſtilium, Porticus, Veſtibulum, Atrium, Cella oſtiarii, Tablinum, Crypto-Porticus, Alæ Atrii, Andrones, aut Meſaulæ, Baſilica, Triclinium Cyzicenum, Triclinia Tetraſtyla, Exedıæ, Apodyterium, Calida Piſcina, Cella Frigidaria cum Baptiſterio, Unctuarium, Laconium, ſeu Cella Caldaria, Cella Tepidaria, ſeu Cella media, Sphæriſterium, ſeu Coriceum, Cubiculum, Dormitorium, Cœnatio, Procœtones, Cella Liberti, Cellæ Servorum, Hypocauſton, Propnygeon, aut Præfurnium, Miliarium, Cellæ Lignariæ, Hortus, Templum Jovis, Templum Æſculapii, Fanum Iſidis, Sacellum, & Ara, Gynecæum, & Textrinum, ſeu Concla-

(1) Illyrici Sacri Tom. II. fol. 165. (2) Vide *Revine del Palagio dell' Imperator Diocleziano nella Città di Spalatro in Dalmazia del R. Adam nella deſcrizione del piano generale del Palagio ſteſſo.* 1764.

clave, Aulicorum Ædes, Cohortis Prætorianæ Locus, Fornices, Porticus, Carceres, cujuſque generis Officinæ, omnia vero muris in quadrum diſpoſitis circumſepta, portiſque quatuor, aurea, argentea, ænea, & ferrea obſerata. Pulcherrimi ac pervetuſti hujus Ædificii formam, ac deſcriptionem æneis typis impreſſam, quæ viis, ac plateis intermediis disjuncta, & affabre pulchreque deſcripta, urbis cujuſdam vere magnificentiſſimæ ſpeciem ac ſimilitudinem præſefert, huc referre ex Tom. I. & II. Illyr. Sacr. non licet, cum hi typi non extent; uti & Aream, nunc Ædis Metropolitanæ Spalatenſis, olim ab Diocletiano extructi Jovis Fani cum interiori & exteriori proſpectu; alium inſuper proſpectum Sacelli S. Joannis Baptiſtæ, antea vero Fani Iſidis, e regione Ædis Metropolitanæ cum area Plateæ mediæ inter idem Sacellum, ac Metropolitanam Ædem; porticum demum ante ipſam etiamnum extantem, cum figura Turris ſupra fornices januæ maximæ ejuſdem Metropolitanæ, quæ Campanis ſuſtinendis conſtituta, multis poſt Diocletianum ſæculis perſtat erecta. Horum quoque ædificiorum deſcriptiones ſupervacaneum ducimus iterato hic loci referre, cum omnia & ſingula in rem enarrata videri poſſunt apud Clariſſimum Farlatum (1). Quo vero anno Diocletianus hujus Palatii ſui ſtructuram perfecerit, apud Scriptores omnes, quorum nos codices excutere adlaboravimus, incompertum omnino habetur. Id unum reſcire potuimus, ab Diocletiano Auguſtale Palatium, cæteraque ædificia, quæ immani mole, ſumptuque prope Salonam extrui juſſerat, anno *296.* quo legiones ex Italia collectas in Dalmatiam tranſportaverat, acerbiſſimaque crudelitatis exempla in Chriſtianos ediderat, diligenter inſpecta ac luſtrata fuiſſe ea forte de cauſa, ut nimirum ædificiorum opus incæptum ſua ipſius præſentia urgendo ad exitum perduceretur. Idem Palatium inviſit etiam anno 304., quo nondum perfectum fuiſſe putat Clariſſimus Farlatus (2).

## CAPUT V.

### *De Ædificiorum in Thermis Africanis Supplicio.*

Quotquot de Thermis Africanis mentionem hucuſque contigit facere, omnibus hæc una arriſit ſententia, ut talium ædificiorum authorem non Diocletianum, ſed Maximianum Herculium

B 2

(1) Tom. I. ſol. 488. 489. 490. 491.
(2) Tom. II. Illyr. Sac. ſol. 387.

Digitized by Google

lium jure cenſuerint reputandum. Quare ergo nos Thermas Africanas Diocletiano adſcribimus? Quia Maximianus veterrimus primum Diocletiani amicus, ac deinde Cæſar, atque Auguſtus ab eo renuntiatus, velut alter ex adoptione filius, in Diocletiani familiam quodammodo migrando, quem Auguſtalis Imperii conſortem obtinuit, eum ſemper velut parentem omnis obſequii cultu ſibi demereri curavit. Hinc Diocletianeæ feritatis præcipuum miniſtrum legimus fuiſſe Maximianum Herculium, cujus ille immanitatis adjutorio utebatur, cum violentiæ impietatiſque negotia gerenda jubebat. Diocletianus namque, ut ſuperius dictum eſt, clementiæ ſibi famam ſtudebat conquirere, atque callida iſtiuſmodi ſimulatione inſitæ ſibi crudelitatis exceſſus contegere. De eo ſic ait Eutropius (1): *Diocletianus moratus callide ſatis fuit, ſagax præterea, & admodum ſubtilis ingenii, & qui ſeveritatem ſuam aliena vellet invidia explere.* Maximianus igitur dignum, ut ajunt, effectus Diocletianeæ patellæ operculum, ita ſe ad omnem Diocletiani voluntatem accommodabat, ut quælibet hujus libido legis loco ab Herculio haberetur. Quis itaque dubitabit, quin Diocletianus anno 296, quo ſextum Conſulatum Romæ iniit, habuitque collegam Conſtantium Chlorum II. Conſulem, omnium cogitationum conſiliorumque ſuorum rationem Maximiano tunc Romæ commoranti aperuerit, eumque privatis adhortationibus inflammaverit ad Chriſtianos Ædificiorum Supplicio ubique interimendos? Quapropter Maximianus impiis Diocletiani cupiditatibus obſequens, ſtatim atque in Africam trajecit, Quingentianoſque perdomuit, ad Thermas Carthagini ædificandas animum adjecit, quod contigit anno 297. Præclarum quoad Africanas Thermas Clariſſimi (2) Farlati expromimus teſtimonium. *Maximianus Herculius* (inquit) *novam Chriſtianos milites divexandi puniendique rationem excogitavit; & cum illis vel morte mulctatis, vel e militia cum probro dimiſſis nihil utilitatis caperet reſpublica, eos ſervilibus laborioſiſque operibus atterere decrevit. Itaque cum adhuc in partibus Africæ verſaretur, Carthagini Thermarum fundamenta jecit, quibus ad memoriam imperii ſui nomen ſuum inſcriberet.* Verum Africanas Thermas Maximianus condidit non ſolum ad recolendam ſui imperii memoriam, ſed potiſſimum ut Diocletianeæ feritati, cujus præcipuus extitit miniſter, morem gereret, ſicque tali Ædificiorum Supplicio Chriſtianorum nomen deleret. Si ergo qui per alium facit, idem eſſe habeatur, ac ſi faciat per ſe ipſum; cur Africanarum

(1) Lib. 9. cap. 16.
(2) Tom. II. fol. 434.

Digitized by Google

rum Thermarum authorem ex hucuſque adductis cauſis nos Diocletianum non appellabimus?

## CAPUT VI.

### *De Ædificiorum in Thermis Romanis Supplicio.*

ACta S. Marcelli Papæ & Martyris ſic habent in exordio: *Tempore, quo Maximianus Auguſtus rediens ex partibus Africæ ad Urbem Romam, volens placere Diocletiano Auguſto, ut in nomine ejus Thermas ædificaret, cæpit in invidiam Chriſtianorum omnes milites Romanos ad afflictionem laboris compellere, & per varia loca alios ad lapides, alios ad arenam fodiendam damnavit.* Ex quibus verbis tum author, tum Ædificii finis quis fuerit, aperte colligitur. Anicio Fauſto, & Severo Gallo Coſs., anno nempe 298., poſtquam (1) Maximianus Herculius ex Africa Romam venerat, Romanis Thermis fundamenta jecit in honorem Diocletiani: cui quam acceptæ fuerint inſaniæ feritatiſque plenæ iſtiuſmodi Ædificiorum moles, priori probaverat experimento, cum ſcilicet Thermas Africanas condidiſſet, eaſque Diocletiano plurimum placuiſſe cognoviſſet. Romanæ Thermæ Felices appellatæ, non ad lavacra tantum, ſed etiam Diocletiani juſſu ad omnium liberalium artium diſciplinas tradendas fuerant deſtinatæ. Hinc Diocletianus Ulpianam Bibliothecam, quam alibi collocarat Trajanus, in ſuas haſce Thermas tranſtulerat. Tanta vero erat novi hujus Ædificii magnitudo, ut Ammianus (2) Marcellinus ſic ſcriptum reliquerit: *Lavacra in modum Provinciarum extructa præ incredibili ſui amplitudine.* Eaſdem has Thermas (3) Marnavitius ampliſſimas, & admirandas terrarum orbis vocitavit. Ut autem Lector noſter mente facilius adſequi valeat Thermalis hujus Ædificii extenſionem, ſciat opus eſt, quod ex Nardinio oculari (4) teſte, loci ejuſdem latitudo inter Exquilias & Quirinale apud S. Suſannam impræſentiarum comprehendit Eccleſiam, Monaſterium, & hortum Monachorum S. Bernardi, inſuper Eccleſiam, Monaſterium, & ſatis amplum viridarium Patrum Carthuſianorum, duas magnas plateas, Horrea (5) publicæ rei frumentariæ a Gregorio XIII. conſtructa, Thermarum fontem, vineta quoque, ædeſque plurimas privatorum. Quidquid alii de Thermarum ſubſtructio-

(1) Euſebius in Chron. (2) Lib. 26. (3) Lib. de Nobilitate Gentis Aureliæ Valeriæ. (4) Rom. Vet. IV. 7. (5) Vide Crevier tom. 15. pag. 63.

Digitized by Google

ctione ſcripſerint, nos in eam ſententiam ire pedibus non dubitamus, quæ ſua, eaque gravi authoritate ſuffulta ſuadet, Thermis hiſce ab aliis Imperatoribus jacta fuiſſe fundamenta; quas deinde Diocletianus, & Maximianus integro operarum ſeptennio abſolverunt, alii (1) vero Imperii ſucceſſores ornamentis illuſtrarunt. Hinc illud (2) Poetæ:

*Quas alii cœpere prius longa abſide Thermas*
*Induperatores, monſtrum crudele Diocles*
*Abſolvit princeps. a quo ſunt nomen adeptæ,*
*Quas ſibi communi titulo, & cognomine condens*
*Maximiane tibi, regni collega dicavit.*

Hinc etiam vetus inſcriptio docet, imperantibus Conſtantio, & Galerio, Diocletianeas haſce Thermas fuiſſe dedicatas. In prægrandi Romanarum Thermarum extruendo Ædificio Diocletianus & Maximianus multorum millium Martyrum ſudorem, & ſanguinem profuderunt; quorum quidem perſecutorum conſilio factum eſt, ut omnes ubique poſitæ legiones luſtrarentur; quique in eis reperti ſunt Chriſtiani milites, exuti militia, ac vincti Romam perducti, Thermarum operi fuerunt addicti. Chriſtiani ad quadraginta millia veluti ſervi adſcriptitii Thermarum laboribus (3) mancipati fuiſſe leguntur. Abſolutis vero Thermis, quid putas mercedis operæ perſolutum? Ex eo quod ingens Chriſtianorum poſt expletum Ædificium ſupererat numerus, quos non perculit tantæ molis ſupplicium, eos utriuſque Imperatoris proſtravit immanitas. Veriti namque Imperatores, ne quid in eorum molirentur Imperium, juſſerunt omnes extra portam trigeminam, nunc S. Pauli, tertio ab Urbe lapide duci, & in convexo (4) vallis, in loco, qui dicitur *Gutta jugiter manans*, ad Aquas Salvias die 9. Julii præclaro martyrio coronari, qui fuere Sancti Zeno Tribunus, ac decem millia ducenti tres Socii. Nec illud ſilentio prætereundum eſt, quod (5) Pompejus Hugonius ſcribit, in lateribus e Thermarum ruinis erutis interdum Crucis Signum repertum fuiſſe inciſum, ſuaque ætate extitiſſe aliquos, qui id ſe ſpectaſſe teſtati ſunt, quod aperte probat, lateres illos non niſi a Chriſtianis ad id opus damnatis effici potuiſſe. Obſervavit quoque Baronius (6) reliquis Imperatorum Thermis collapſis, vel propemodum

(1) Vide *l'Antichità di Roma di Andrea Fulvio con le aggiuntioni ed annotazioni di Girolamo Ferucci ec. Venezia* 1588. (2) Antiquaria Urbis per Andream Fulvium Romæ 1513. lib. 2. Thermæ. (3) Bartholomæus Marlianus l. 5. Topographiæ Urbis cap. 20. & Andreas Fulvius de Thermis Diocletiani lib. 3. cap. 25. (4) Vide Lib. cui titulus: *Thronus Dei Maria*, P. Petri Spinelli tract. de Feſtis ac Templis Deiparæ tit. S. Mariæ Angelorum in Thermis. Coloniæ Agrippinæ 1696. fol. 670.

(5) L. de Stationibus Urbis, Statione 25. (6) Tom. II. Annal. ad ann. 298.

Digitized by Google

dum dirutis, Thermarum tamen Diocletiani potiſſimam partem, quod Chriſtianorum labore ſtetiſſent, tot ſæcula perduraſſe, & in Baſilicam Dei Genitricis & Angelorum fuiſſe converſam. Antonius Duca Presbyter Siculus pietate & religione inſignis, qui memoratæ Baſilicæ erectionem maximis conatibus procuraverat, affirmaſſe compertus eſt, Diocletianarum Thermarum (1) Architectum, prout ipſe deprehenderat, fuiſſe Chriſtianum. Idem ipſe vir pius in prægrandi hocce Ædificio quatuordecim veluti ſacella ſe inveniſſe teſtatur, ſeptem quidem ex parte orientali, quibus jam tum ſingula nomina ſeptem Angelorum, quæ Panhormi reperta ſunt, ſingulis ſacellis rubris inſcripſerat literis, eaque erant (2) S. Michael, S. Gabriel, S. Raphael, S. Uriel, S. Sealtiel, S. Jehudiel, & S. Barachiel: ex parte vero occidentali ſeptem Martyribus, qui in Actis S. Marcelli apud Surium Tom. I. in conſtructione Thermarum leguntur, totidem ſacella attribuit, eorumque nomina iiſdem ſacellis inſcripſit: ii ſunt S. Marcellus Papa, SS. Cyriacus, Siſinnius, Largus, Smaragdus Diaconi, S. Saturninus Senex, & S. Thraſon, qui ſuis facultatibus Chriſtianos in eiſdem Thermis laborantes alebat, cujus ſacra memoria ab Romano Martyrologio recolitur (3).

## CAPUT VII.

*De Ædificiorum Supplicio in Arimini reædificatione.*

Diocletianus nonum Ravennæ, Maximianus octavum Romæ Conſulatum inierat, cum ille manum ad reædificandam Ariminenſem urbem admovit, anno ſcilicet 304. Paucis ante annis, magno Senatus Populique Romani terrore Demoſthenes Liburnorum ſive Dalmatarum Rex, poſt expugnatam Salonæ claſſem Ponticam, eamdem urbem funditus everterat. Tabulæ Ariminenſes teſtantur, ad Arimini reſtitutionem non ſolum auctoritatem, ſed præſentiam ipſam ab Diocletiano fuiſſe collatam. Etenim cum Diocletianus, quemadmodum (4) narrat Cæſar Clementinus, Ariminum veniſſet, ejus civitatis præpotentis olim, atque opulentiſſimæ miſeratus excidium, eamdem reædificari juſſit, architectis peritiſſimis undique edicto accitis,

(1) Vide præfat. Spinelli loco cit. fol. 671.

(2) Præfata omnia Angelorum nomina quamvis ab Catholicis Scriptoribus memorentur, tamen ſola Michaelis, Gabrielis, & Raphaelis ab Eccleſia admittuntur. Teſtatur Cardinalis Albitius in tractatu de Inconſtantia in fide cap. 40. n. 156. nomina Urielis, Barachielis, Sealtielis, & Jehudielis Superiorum mandato Romæ fuiſſe deleta. Vide fuſius in rem immortalem Benedictum XIV. de Canonizatione Lib. IV. part. 2. cap. 30. n. 3. fol. 322. Venetiis 1788.

(3) Die 11. Decembris.

(4) In hiſt. Ariminen. l. 2.

citis, coactis fabris, operiſque Auguſtali mandato imperatis. Accidit autem, ut eo urbis ejuſdem inſtaurationem curante, perdifficilem contraxerit morbum. Graviter igitur corpore, ſed graviore animi morbo æger inde diſceſſit, vere ineunte, iterque Nicomediam ſuſcepit; ſed ex itinere in Dalmatiam, & Salonam divertit, potiſſimum ut e Dalmatia pecuniam, qua noſtrates ob Demoſthenicam defectionem multaverat, itemque artifices, atque operarios ad ædificationem Ariminenſem tranſmitteret. Ariminenſium rerum Scriptores affirmaſſe legimus, ingentem vim auri, atque argenti e Dalmatica exactione coactam, operaſque perplurimas ex eadem provincia ad urbem illam inſtaurandam ſubmiſſas fuiſſe. Ex membranaceo Codice ſæculo XI. conſcripto, atque Arimini in Archivio Confratrum S. Hieronymi extante, liquido eruitur, egregios inter Dalmatas cædendorum poliendorumque lapidum artifices, atque ſculptores Sanctos Marinum, & Leonem, ex Arbenſi Dalmatica inſula oriundos, una cum aliis plurimis architectis, fabris, operariiſque juſſu Diocletiani undique conductis, ad reficiendam Ariminenſem urbem hoſtili aggreſſione non ita ptidem everſam, coactos veniſſe. Everſionis vero Arimini hanc fuiſſe cauſam deprehendimus. Homo quidam Demoſthenes nomine, ex Anicia Dalmatica gente, nobilitate, & vetuſtate inſigni ortus, Cari, & Carini Imperatorum conſanguineus, eaque de cauſa apud Dalmatas authoritate, & gratia præpotens, commemoratis eorumdem majorum ſuorum, quibus Dalmatas cumulaverant, multis maximiſque beneficiis, blanda quoque uſus oratione, ingentibuſque factis promiſſis, Dalmatiarum populos ſic ab Diocletiani imperio abduxit, ut Regnum, ac Salonæ primariæ urbis principatum obtinuerit. Diocletianus per ea tempora Perſico, & Ægyptiaco bello implicitus, poſt recuperatam Ægyptum, Perſaſque debellatos, cum primum Dalmatarum ſuorum defectionem intellexit, nulla interpoſita mora, anno videlicet 298. claſſe Pontica Adriatico mari ſubvecta, Salonam, ac Demoſthenem ipſum Salonæ degentem terra marique acriter obſedit, urbemque vehementius quam potuit, cæpit oppugnare. Rex, & cives dum metu, ac mœrore torpentes ignorabant quid caperent conſilii, Georgii Salonitani ſui Antiſtitis, duobus ante annis præclara pro Chriſto nece jubente eodem Diocletiano dire interempti, cæleſti viſione inſperato ſunt recreati: mox vero ſpei ac fiduciæ pleni, ipſo Georgio duce & auſpice, ex urbe, agmine facto, erumpunt, Romanos invadunt, hoſtiumque exercitum fundunt, cæduntque ad ſatietatem, in eorum naves tranſiliunt, & Pontica univerſa claſſe potiti, Italiæ oram depopulantur, Ariminum-

que

que (1) extemplo diripiunt, incendunt, funditusque evertunt. Verum non ita multo poſt Diocletianus terreſtres atque navales copias raptim coegit, Demoſthenem devicit, Salonam, Provinciamque Dalmaticam univerſam in jus & poteſtatem Romanorum reſtituit. Diocletianus igitur injuriæ civium, conterraneorumque ſuorum memor, præter alias cauſas omnibus Ethnicis Imperatoribus communes, vel ex eo etiam in Dalmatas omnes crudelius deſæviit, quod Carini Imperatoris Cari filii cum Occidentalibus cæteris partes fuerint ſequuti, quos idcirco ſæviſſimæ ſuæ ipſius perſecutionis procella cæpit obruere. Ob ſummam itaque animi feritatem, atque cruentas immaneſque Orthodoxorum cædes populo fideli Dalmatico, qui ſemel ſuſceptam Chriſtianam Religionem nunquam deſeruit, inviſus, carnifexque factus crudeliſſimus, omnes ſævas barbariei ſuæ vires in Dalmatas maxime, atque in alios Occidentalis Eccleſiæ Chriſtianos ſupra quam credi poteſt, exeruit. Hinc eos vexandi perdendique cupidine incenſus, ad expilationis facinus adjunxit & hoc, ut Dalmatarum plurimos undique collectos ad reædificandum Ariminum tranſmeare compulerit. Quales, quantoſque labores, & cruciatus ibidem Dalmatæ Confeſſores Domini ſint perpeſſi, teſtatur Clariſſimus (2) Farlatus inquiens: *Marinus, & Leo oriundi, profectique ex Arba civitate, & inſula Flanatici, anno circiter 298. venerunt in Italiam, . . . qui Chriſtianos juſſu Diocletiani apud Ariminum plurimis graviſſimiſque laboribus attritos, atque appreſſos omni ope operaque juvabant.*

## CAPUT VIII.

*Series recenſetur annorum, quibus in Dalmatia & Illyrico Diocletianus diverſatus eſt.*

OMnia nobis, eaque neceſſaria Chronologiæ ſubſidia deeſſe ingemiſcimus, quibus dum ædificiorum quorumdam ſub Diocletiano vel incæptam, vel peractam in Dalmatia, & Illyrico ſubſtructionem illuſtrare non poſſumus, ipſa ſui apud nos incolatus tempora conſtituimus expendere, ut quæ ſuo hucuſque jacuerant incerta principio, ad aliquem Diocletianei in Dalmatiam, & Illyricum adventus annum relata, ſuo, quamvis incerto, aliquatenus ſaltem, admoveantur initio. Frequens igitur Diocletiani in Dalmatia, & Illyrico commoratio non improbabilem conjecturam nos cogit face-

C re,

(1) Vide Cæſar. Clementinum in hiſt. Arimin. lib. 2.
(2) Illyr. Sacri Tom. V. fol. 276.

Digitized by Google

re, frequentiores, ac duriores quam alibi ab Chriſtianis perpeſſos fuiſſe Ædificiorum cruciatus. Id quidem congruere videtur tum ferociſſimo Diocletiani ingenio, tum inſatiabili ſuo in Chriſtianos præſertim Dalmatas & Illyricos odio. Ex quibus optime eruiſſe rerum noſtrarum Scriptores judicamus, cum affirmaverint, plurimos ac pene innumeros ex Dalmatis, atque Illyricis cæteris non ſolum in Dalmatia, & Illyrico, ſed etiam alibi Diocletianeæ immanitatis miniſterio per hæc & per omnigena alia inauditæ feritatis ſupplicia Martyres Chriſti feliciter effectos. Atque ut de ſingulis annis, quibus in hiſce regionibus diverſatus eſt, aliqua ſaltem poſteris memoria tradatur ab Æra Diocletiani, quæ Æra Martyrum, ſive Ægyptiaca, aut Alexandrina nuncupatur, quæque ab anno Chriſti 284. ducit initium, anno 2., Chriſti ſcilicet 286. Diocletianus prima ſuæ perſecutionis periodo, ex Romano itinere, prout paulo ſuperius commemoravimus, Dalmatiam attigit, & ampliſſimi prope Salonam Palatii fundamenta jecit. Anni etiam 287. in Pannonia, aliiſque finitimis Illyricis Provinciis partem exegit, ſicut ex quibuſdam ab eo Sirmii conditis legibus eruitur, ubi ab eo non paucos ob religionem interemptos fuiſſe dubitat nemo. Anno Chriſti 288. ex Illyrico in Ægyptum profectus, eodem anno iterum in Illyricum reverſus eſt, variaſque leges in Thracia, & Pannonia tulit, ac multos veri Dei cultores pro ingenii ſui feritate interficere juſſit. Anno ſubſequenti 289. ineunte ex Illyrico Diocletianus, Maximianus e Gallia de ſumma reipublicæ inter ſe conſulturi Mediolanum convenerunt. Iterum idem Diocletianus anno 290. Illyricum peragravit; & quacumque iter habuit, perſecutionem quadriennio ante Romæ in Chriſtianos concitatam ſecum circumtulit, tres Aquilejenſes ſorores Agapen, Chioniam, & Irenem Salonæ occidit, legeſque plures in Thracia & Pannonia condidit. Annum 291. fere totum apud Illyrios tranſegit, Idibus Majis Sirmii legem fecit, atque commoratione hac ſatis diuturna plurimis martyrii in Illyrico ſubeundi cauſam, & occaſionem ſubminiſtravit. Anno 293. Romæ decennalia celebraturus, varias regiones, atque urbes Illyricas perluſtravit; acriuſque in Chriſtianos ſævire cœpit, quod ipſum ut Deum adorare detrectaverint; unde initium ſumpſit ſecunda ſuæ perſecutionis periodus. Anno 294. iterum peragravit Illyricum, multoſque in ipſius Provinciis Martyres ad Cælum tranſmiſit. Anno 296. Diocletianus cum exercitu in Dalmatiam trajecit, atque Salonæ potiſſimum acerbiſſima crudelitatis exempla reliquit, dire cæſo Georgio Salonitano Epiſcopo, aliiſque quamplurimis. Anno 297. tertia Diocletianeæ perſecutionis periodus exorta eſt ab Edicto contra Chriſtianos milites lato, quæ in-

nu-

numeros pene ex Illyricis Legionibus perculit; quia apud Illyricos potior ſemper habita eſt religio, quam militia, aut ſalus. Anno 298. cum Dalmatis ob Demoſthenicam defectionem Diocletianus adverſo marte pugnavit; quod tamen ipſi impedimento non fuit, quin plurimos pro Chriſto necaret. Anno 299. Roma in Illyricum profectus, extremos ejuſdem anni menſes Sirmii confecit, ac plures martyrii palma decoravit. Anno 300. ex Pannonia Salonam cum Herculio ex Italia profecto convenit, ubi interempto Joanne II. Salonæ Epiſcopo, ille Sirmium repetiit. Partem anni 301., quo publice Romæ in Circo acclamata, Senatuſque decreto adprobata fuit univerſalis Chriſtianorum cædes, Diocletianus apud Illyricos exegit, ac plurimos pro ingenii ſui animique feritate excruciatos multipliciter Cælo peperit, quos tunc mundus carne conſumptos amiſit. Anno 302. quamvis Diocletianus ab Dalmatia & Illyrico longe abfuerit, multi tamen in Illyricis Provinciis, præcipue vero ex militari ordine auctoritate ſua, Præfectorum opera, & immaniſſimi Galerii Cæſaris truculentia inauditis ſuppliciis affecti, poſtremo interempti ſunt. Anno 303. Diocletianus poſt univerſalem Chriſtianorum Nicomediæ indictam perſecutionem Romam profectus, facile Illyricas regiones inviſit, atque in eis ingentem Chriſtianorum numerum dira cæde proſtravit. Anno 304. Salonæ aliquandiu commoratus, in Dalmatia, & Pannonia perſecutionem in Chriſtianos ſua potiſſimum præſentia urgere nunquam ceſſavit; & Joannem III. Salonæ Epiſcopum interemit cum aliis quamplurimis. Anno 305. abdicato Nicomediæ Imperio, in Dalmatiam ſeceſſit; cujus adminiſtrationem ſibi retinuit, & in ea Chriſtianos crudelem in modum uſque ad finem vitæ ſuæ divexare nunquam ceſſavit. Ex quibus omnibus erudito Lectori noſtro placeat colligere, quæ, & quanta perſecutionis ejus rabies in Chriſtianos Dalmatas & Illyricos efferbuerit, quamque eos Ædificiorum præcipue in Dalmatia & Illyrico tunc extructorum Supplicio excruciaverit; quorum quidem chronologica initia nobis omnino incomperta in aliquem ex ſui in Dalmatia & Illyrico incolatus annis refundat oportet.

## CAPUT IX.

### *De Ædificiorum Supplicio in urbe Epetio, ſeu Valeria.*

EPetium pervetuſta Dalmatiæ civitas ab Syracuſiis Iſſenſibus condita, ac propterea ad Dionyſii tempora quoad originem revocanda, olim neque infrequens, neque ignobilis a Ptolemæo, &

in Tabula Peutingeriana commemorata, ad ſex circiter milliaria Salona in meridiem, & in orientem æquali ſpatio Spalato diſtans, ab Avaribus ſæculo VII. excifa anno circiter 640. cum Salona funditus corruit. Verum ex Collectaneis quibuſdam immortali memoria apud Dalmatas, cæteroſque Illyricos maxime digni P. Philippi Riceputi, quæ ad manus noſtras forte fortuna pervenerunt, deprehendimus, Epetium Valeriæ urbis nomine ſub Diocletiano appellatum. Sed ne ex ipſa locorum omonymia Lectori noſtro occaſio ſubrepat errandi, multiplicem hic loci proponimus internoſcendam Valeriam. Unam Pancirolus in Italia apud Aprutios recenſet: aliam in Pannonia Rufus commemorat; utraque vero provincia eſt, non civitas. Tertiam Baronius (1) refert in hæc verba: *Sed & ejuſdem Valeriæ nomine nuncupavit civitatem ſitam ad ripam Danubii, ut Ennodius tradit.* Poſtrema Valeria eſt ipſa Epetina civitas, cui hoc nomen ab Diocletiano inditum fuiſſe arbitramur ab ipſamet Valeria gente ſua. Pervagata omnino res eſt, ut urbium conditores, aut inſtauratores exædificatas civitates ſuo, quo ipſimet appellabantur, provocent nomine. Hinc patet Epetinam urbem ab Diocletiano plurimis ædificiis non aliorum certe, quam Chriſtianorum labore auctam ornatamque, Valeriam de cætero denominatam fuiſſe. Urbem hanc Diocletianus ex nomine gentis ſuæ, ædificiorumque numero apud futuras generationes inſignem facere conatus eſt; ſed ſua eum ſpes fefellit: nam de antiqua ejus magnificentia nihil nunc ſupereſſe conſpicimus, præter quam ignobilem vicum, qui ab oſtiis fluvii *Xarnovnicza* nuncupatur. Nos locum hunc ſingulari veneratione dignum putamus, non ſolum quod fidelium olim fuerit laboribus conſecratus, quos in ſubſtruendis inſanis Diocletianeis fabricis perpeſſi ſunt, ſed etiam quod in ea urbe Agapitus Epiſcopus Salonitanus XV. anno 275. Aureliano imperante, comprehenſus, excruciatus, interfectus, & (2) ſepultus fuerit.

## C A P U T X.

### *De Supplicio Ædifitiorum Corcyræ Melænæ.*

MAxima ſane monumentorum inopia facit, ut valde pauca de Ædificiorum Supplicio Corcyræ Melænæ referamus. In rem noſtram eſt, quod Paulus Moronus in Topographia Magni Regni Hungariæ (3) ſcriptum reliquit; ait enim: *Corzula, ſive Curzula, quon-*

(1) Ad ann. 294. (2) Illyr. Sacri Tom. I. fol. 628. 629.
(3) Part. 3. cap. 1. ſegm. 3. pag. 248.

Digitized by Google

*quondam Corcyra Nigra, ut auctor eſt Palladius, gaudet civitate ſat ampla, cujus mœnia cum Baſilica præaltiori loco ſtant; a Diocletiano extructam incolæ prædicant. Mihi credibilius vetuſtatis reliquias iiſdem dumtaxat inſertas fuiſſe, cujuſmodi eſt dimidia ſtatua, quæ in Templi facie conſpicitur.* Murus ejuſdem civitatis non declivis, ſed ad pares angulos extructus, Romani operis architecturam profecto præſefert. Atque hinc nobis non improbabilis eſt conjectura affirmandi, mœnia Corcyræ ab Diocletiano quondam fuiſſe inſtaurata, gregeſque fidelium etiam hic loci Ædificiorum Supplicio cruciatos.

## CAPUT XI.

### *De Ædificiorum Supplicio in quibuſdam inſignibus Dalmaticis Subterraneis.*

AMpliſſimum Diocletiani prope Salonam Palatium, quod nunc Spalati civitas eſt, miris ſane architecturæ legibus conſtructum exſurgit: ſed artis perito magis mirandi occurrunt ejuſdem ſubterranei fornices ſibi adhæreſcentes, atque ita ad invicem firmiter compacti, ut toti Spalatenſi ſuſtinendo ædificio ſatis idonei, ſolidiſſimum præbeant eidem Palatio fundamentum. Conſtructionis fornicum eorumdem formam (1) exhibet Porphyrogenitus his verbis: *Ubi* (nempe in urbe Spalati, ſeu Palatio Diocletiani) *ædificaturus erat rotundos fornices, totamque urbem tecturus, & palatia ſibi extructurus, omnis urbis ædes ſupra iſtos rotundos fornices gemina, aut triplici concameratione, ita ut non exiguam urbis partem cooperiret ...* De iiſdem fornicibus, cæteriſque ſubterraneis Spalatenſibus locis hæc habet Thomas (2) Archidiaconus: *Qui poſt Salonæ excidium circumvagati aliquandiu, tandem in Diocletiani Ædificium ſeſe receperunt. Tantum placuit hoc conſilium Nobilibus, & popularibus univerſis, & tale pactum inter ſe ſtatuerunt, ut ditiores ſibi domos propriis ſumptibus ædificarent: cæteri vero, quibus res non erat ſufficiens, pro domibus conſtruendis haberent turres circumpoſitas pro habitaculis ſuis: reliquum vulgus habitaret in fornicibus, & cryptis.* Fornices, & cameras ſubterraneas Spalatenſes memorat etiam Gisbertus Cuperus (3) in hæc verba: *Eruditiſſimus Valeſius cudit fornices, & cameras ſubterraneas eleganti opere ſtructas Aſpalati*

*Con-*

(1) De Adminiſtr. Imper. ad Romanum filium cap. 29. (2) Hiſtoriæ ſuæ cap. 10. de Salonitanis. (3) In cap. 19. Lactantii de Mortib. Perſecut.

Digitized by Google

*a Conſtantino Porphyrogeneta deſcriptas*, *Sepulcrum ipſum Diocletiani &c.* Forma, & exiſtentia fornicum, cryptarumque Spalatenſium in hodiernam uſque diem inſpectoribus ſuis inclareſcit adeo, ut operis præſtantiam mirentur omnes, nemo unus neget. Harum ſubſtructionum finem inquirenti facere ſatis poteſt idem Porphyrogenitus, qui (1) eum ſic prodit: *Subter illo* (ſcilicet cubiculo Palatii Diocletianei Spalatenſis) *ſunt rotundi fornices, olim cuſtodiæ, in quibus Sanctos immaniter a ſe cruciatos compingebat.* Atque hinc patet, fornices iſtos ab Diocletiano excogitatos, ut in cryptis hiſce ſubterraneis concluſa fidelium turba, non ſecus ac in carceribus, & ergaſtulis, vel interiret omni ærumnorum genere confecta, vel ſuperſtes inauditis pœnarum excruciaretur ſuppliciis. Clariſſimus (2) Farlatus recenſet etiam carceres quoſdam ſubterraneos Pharienſes, ſeu Liſſienſes, & Corcyrenſes, atque alios, quos in eumdem finem ab Diocletiano extructos fuiſſe affirmat. Ejus hic referre ipſiſſima verba maximi eſſe momenti judicamus, ut magis magiſque oſtendere poſſimus, dicta hæc noſtra veritate fulciri. Ait (3) enim: *Huc adde carceres itidem ſubterraneos Pharienſes, ſeu Liſſienſes, quos ſæviente Diocletiano, Chriſtianis refertos fuiſſe ex traditione majorum accepimus; nec dubito, quin cum vel immanes illas Ædes Imperatorias prope Salonam, & alia in aliis Dalmatiæ urbibus ædificia extrueret, Chriſtianorum adhibuerit operam ad ligna, lapides, cæmenta convehenda, quibus tamquam ſortis infimæ mancipiis vix panis cibarii quod ſatis eſſet ad labores diurnos ferendos, avare ac maligne ſuppeditari jubebat.* Sæpius ad miſericordiam evocavere mentem noſtram, quæ in rem ab eodem præclaro Auctore paulo ante in immortali memorato ipſius opere ſcripta leguntur: *Diocletianus vero* (inquit) *poſt Imperium depoſitum fere omne reliquum vitæ ſuæ tempus, quod in ſuo Palatio prope Salonas tranſegit, ad everſionem Eccleſiæ Dalmaticæ contulit, publicæque auctoritatis quod ſibi retinuerat, in torquendis necandiſque Chriſtianis conſumpſit. Plena Chriſtianorum erant ergaſtula, plenæ Latomiæ ſeu fodinæ Dalmaticæ, in quibus illuſtres Chriſti athletæ ſervilibus & laborioſis operibus aſſidue exercebantur .... Tanta porro erat Chriſtianorum multitudo, quos in vinculis, vel cuſtodiis habebat vel fame & pedore conficiendos, vel acerbiſſimis ſuppliciis excruciandos necandoſque, ut eos carceres fornicati ſubter palatium conditi capere non poſſent, in quibus cæteroquin propter inſanas illas ſubſtructiones plura*

(1) Loc. cit. cap. 29.
(2) Illyr. Sacri Tom. II. fol. 398. 416.
(3) Id. ibidem fol. 416.

*ra hominum millia facile includi potuiſſent*. Sane carcer Jovis olim, nunc S. Domnii Templo ſuppoſitus, quique impræſentiarum in ædem Divæ Luciæ V. & Martyri ſacram pietate Spalatenſium commutatus ſupereſt, ipſa loci amplitudine inſignis omnium jure habetur. De alio carcere fit ſermo in Deſcriptione Baſilicæ Spalatenſis, quam a Petro Nicolino Spalatenſi Italice confectam, ac latine redditam exhibet Clariſs. Farlatus (1). Hæc vero habet ipſa Deſcriptio: *Tertium quoddam Fanum Baſilicæ e regione objacet ab Occidente, quondam Æſculapio ſacrum. Sacelli forma quadrata eſt; uno fornice lapideo obtegitur, mira arte cælato. Carcer eſt infra pavimentum, in altitudinem haud mediocrem depreſſus, quem Spalatenſes S. Thomæ Apoſtoli nomine ac religione conſecrarunt*.

Dum hæc nocturna meditatione expendimus, in lætitiam nos conjecit incredibilem exploraſſe tandem, quiſnam Donatus ille fuerit, cujus Lactantius in aureo ſuo de Mortibus Perſecutorum libro (2) meminit, cuique eumdem ſuum, quem confecerat, librum miſiſſe videtur. Deſperabamus profecto de Donato noſtro inveniendo, præſertim cum præſtantiſſimus P. Eduardus a S. Xaverio, qui præfatum Lactantii opus Romanis typis recuſum, illuſtrationibus valde copioſis, omnique laude dignis in lucem protulit anno 1759., mentem ſuam de eodem Donato ſic apertam reliquerit (3): . . . *Donatus iſte, quem tamen, quiſnam fuerit, hactenus ignoramus*. Nos vero totius reperiundæ veritatis gratia chronologicum hunc ratiocinationis ordinem tenuimus. Bis Lactantius Donatum hunc ſuum in præfato compellat opere chariſſimum. Inquit enim (4) primo ſic: *Verum quid opus eſt illa narrare præcipue tibi, Donate chariſſime, qui præter cæteros tempeſtatem turbidæ perſecutionis expertus es? . . . . Novies enim tormentis, cruciatibuſque variis ſubjectus, novies adverſarium glorioſa confeſſione viciſti . . . . Nihil adverſum te verbera, nihil varia tormentorum genera valuerunt. Adimere tibi fidem, ac devotionem nulla vis potuit*. Deinde anno nimirum 311. quo Galerius ſanxit edicto, ne quis impoſterum Chriſtianis negotium faceſſeret, ſic Lactantius (5) Donato gratulatur: *Tunc apertis carceribus, Donate chariſſime, cum cæteris Confeſſoribus e cuſtodia liberatus es, quum tibi carcer ſex annis pro domicilio fuerit*. Ex quibus Lactantii verbis liquido colligitur, Donatum in carcere ſexennium integrum manſiſſe, eumque fuiſſe carceri mancipatum anno 305., quo Diocletianus Kalendis Majis Nicomediæ imperio ſe abdica-

(1) Tom. I. fol. 489. (2) Cap. 17. & cap. 36.
(3) In eod. Lactantii opere fol. 103. (4) Cap. 17. (5) Cap. 35.

cavit, & in Dalmatiam ſeceſſit. Donatum noſtrum Iſtrum origine, anno circiter 267. patre Creſcentino natum, in humanis diviniſque ſcientiis apprime excultum, a Chryſogono II. genere Dalmata Aquilejenſi Antiſtite anno 297. Sacerdotio initiatum, multorum converſione in Chriſti Eccleſia præclarum, ac ea forte de cauſa a Lactantio cognitum, anno 303. ad Salonitanum litus appulſum, quis ambiget ab Diocletiano variis tormentis ob Chriſti fidem fruſtra excruciatum, tandem in ſui Palatii carceres ſubterraneos conjectum, eum ipſum eſſe, cujus glorioſos agones ex Lactantio petitos paulo ante celebravimus; præſertim cum ex autographis Riceputianis Collectaneis, quæ in pluteis Bibliothecæ noſtræ (1) adſervantur, colligere nobis licuit, eumdem ſub Diocletiano anno 311. e carcere dimiſſum, Epiſcopali poſtea dignitate, & martyrii corona in Epetina Eccleſia præfulſiſſe? Nos Spalatenſibus noſtris maximopere gratulamur, non ſolum quod a Principis Apoſtolorum Diſcipulo Domnio ſanctiſſimo Chriſti fidem ſint adepti, ſed etiam quod incolant nunc Civitatem illam, quæ undique Sanctorum Chriſti Martyrum, & Confeſſorum ſanguine, vel ſudore irrigata, ac ſuper fundamentum Sanctorum extructa, Donatum cum plurimis aliis Chriſti Confeſſoribus fornicum, carcerum, cryptarumque ſuarum habitatorem ſane glorioſum obtinuerit. Vix quidem a lacrymis poſſumus temperare, perſpicientes quædam ſecretiora Spalatenſis urbis loca olim a fidelibus quamplurimo ſudore ac ſanguine lota, nunc vero maceriarum ſtrue adhuc obruta, impervia eorum pietati ſubſiſtere, qui ea frequentiori, quam credi poſſet, religionis cultu perluſtrarent. Quot nunc Cælum poſſidet cives, quos Diocletiani crudelitas coegit fieri ſui Palatii, fornicumque ipſius fabricatores! Quoties abditi receſſus illi conjectorum in vincula pro Chriſto gemitibus perſonarunt, quibus preces & vota ingeminabant in Cælum, ut nimirum finem acciperet peccatum, fluctuſque feræ perſecutionis compeſcerentur! Quoties Confeſſores Domini tractibus catenarum humi a lictoribus proni proſtrati, verberibus affecti, pedibus conculcati, pugnis contuſi, inedia confecti ſemianimes jacuerunt! Quoties ad ineundum certamen producti, varioque ſuppliciorum genere, ipſo Diocletiano ſpectante, dilaniati, vulneribus deinde onuſti, iterum carceribus mancipabantur lenta tabe conſumendi! Quanto eorum cruore aſperſi tenebricoſi parietes! Quam frequenti ac beata pro Chriſto ibidem perpeſſa morte cryptæ Spalatenſes conſecratæ! Hæc nos uno cogitationis intuitu nunc velut meditando recenſemus: ſed multo majora profecto ſunt, quæ

(1) In Codice Ms. fol. 98. a tergo.

quæ in carceribus iſtis Martyres Domini pari patientia, & fortitudine pertulerunt, quam ut ea pro merito, & veritate ſcriptis hiſce noſtris referre valeamus. Loquantur ipſi parietes, narrent cryptæ, carceres referant; nemo enim tanta nobis eloqui de perpeſſis ibidem cruciatibus poterit, nemo melius cuncta tormentorum genera recenſebit, quam qui ea videre & audire valuerant: & tunc ſolum Lector noſter intelliget, quæ, & quanta mala in hiſce locis Athletæ Chriſti viriliter certantes pertulerint.

## CAPUT XII.

### *De Ædificiorum Supplicio in Thermis Dalmaticis.*

SEmel nos in Illyrico Sacro Clariſſimi Farlati legiſſe recordamur, authores nonnullos ad invicem digladiatos quoad Diocletianarum in Dalmatia Thermarum exiſtentiam. Qui eas extitiſſe dicebant, in rationum ſuarum ſubſidium Diocletiani in fabricando allegabant libidinem, contendentes, eum iſtiuſmodi commodo, & magnificentia minime caruiſſe in ea maximæ ſuæ voluptatis Dalmatica regione, quam ille unice dilexiſſe videtur. Qui vero Diocletianeas Thermas Dalmaticas negabant, id quidem ſuſtinebant, affirmantes, talium ædificiorum veſtigia nullibi hactenus fuiſſe in Dalmatia deprehenſa. Verum nos litteraria eorum diſſidia componere parati ſumus, dum ipſum Thermarum locum tandem aliquando detegiſſe gaudemus. Anno 1792. una cum præſtantiſſimo Macarenſi Epiſcopo noſtro Fabiano Blaſcovich Diœceſana Viſitatione Naronienſem diſtrictum luſtrabamus: cumque multa nobis ab incolis de rerum antiquarum exiſtentia ſciſcitantibus narrari audiverimus, atque inſignia quædam rudera referri, quæ ad unum circiter milliare ad Aquilonem a Viddo (1) Naronæ oppido diſtare dicebantur; ſtatim non pauca nos incendit cupiditas loci ipſius videndi, ſpe allecti fore ut novum aliquod litterariæ reipublicæ monumentum itinere noſtro conquireremus. Nec noſtra nos fefellit ſpes: nam ut primum parvo navigio, adverſoque flumine ad locum, qui nunc *Prud* dicitur, deducti fuimus, prægrandium perpolitorumque acervum lapidum, aquis, quæ inde ſcatebant, obrutum primo quidem intuitu inſpeximus: mox diligentius totum circumeuntes locum, Thermarum profecto veſtigia eſſe cognovimus ex ſemirutis fornicibus, & alveis, quorum vix umbras



(1) Vide opellam noſtram *Marmora Macarenſia*, ubi plura Romanæ antiquitatis monumenta in Viddo Naronienſi effoſſa recenſentur.

Digitized by Google

bras deprehendere valuimus. Aquas, quarum fluxus diruti ædificii macerie cohibebantur, veluti chalybe conte&as miratus, paulum deguſtavi, tepefactas aliquantiſper æſtivo quidem tempore cognovi, ac neſcio quid ſaporis aquis ipſis ineſſe animadverti. Tum ab ipſomet Epiſcopo, Viro divinarum, humanarumque rerum ſcientia eximio, conſilium in rem ſumere decrevi; cui etiam quidquid fueram contemplatus in loco detexi. Uterque confeſtim in eamdem coire ſententiam minime dubitantes, aquas ipſas thermales profecto eſſe definivimus, Thermaſque in loco *Prud* olim ſubſtitiſſe affirmavimus. Cujus autem virtutis ſint aquæ ipſæ, reſponſum ab Alchimiæ Profeſſore Veneto fuit, ſelenitis quiddam, & acidi vitriolici, ut ajunt, in eis contineri; fundum vero, quo decurrunt, ſeu terræ glebas magneſia, quam dicunt Chimici, nonnihil eſſe infectas, inde dignoſci; cæterum nec ſaporis, nec odoris vim ullam retinent. Longævæ vir ætatis, qui 84. nunc agit annum, non ſemel aſſeruit, adoleſcente eo; ſe in eodem loco fornices ipſos Thermarum miræ quidem craſſitudinis integros vidiſſe, quos accolæ ſenſim demoliti ſunt, ut perpolitos lapides in ruſticos ædificiorum ſuorum uſus traducerent. En igitur Thermæ Dalmaticæ, quas rerum noſtrarum Scriptores ignorabant, quoad exiſtentiæ locum ſatis a nobis demonſtratæ.

Jam vero cur eas nos Diocletiano adſcribimus, rationes ſtatim ſubjicere feſtinamus. Atque inprimis ex loci ipſius dignitate aſſertioni noſtræ argumentum & ſubſidium petendum cenſemus. Etenim Maronia antiquitus, & Mauritania, a Ptolemæo Narbona, a Romanis Narona, Narbis a quopiam, nunc autem Narenta appellata, pervetus eſt Dalmatiæ regio, olim frequentiſſima, atque opulentiſſima civitas, millia paſſuum circiter 72. Salonis in ortum diſtans, viginti vero introrſum a mari recedens, nunc a priſtina magnitudine ac nobilitate temporum viciſſitudinibus disjecta, ac in exiguum, & inſalubre oppidum converſa conſpicitur. Poſt captam ab Romanis Salonam, illi Provinciam Illyricam in duos Conventus partiti ſunt, Naronianum ſcilicet, & Salonitanum. Naronianus Conventus Salonitano etiam antiquior, nobiliorque videri debet ex eo, quod Varronis ætate, qui anno ante Chriſtum 60. florebat, celeberrimus fuiſſe referatur, cum idem Varro apud Plinium auctor ſit, octoginta novem Civitates eo ventitaſſe. Ad firmandam magiſque ſtabiliendam Naronæ dignitatem illud inſuper accedit, quod Julio Scaligero teſte, Narbonæ Illyricæ ortos eſſe Carum, Carinum, & Numerianum Romanorum Imperatores veteres tradant (1). Ne quis vero nobis negotium fa-

(1) Illyr. Sac. Tom. I. fol. 157.

Digitized by Google

faceſſat, quod memoratos Imperatores Dalmatas Illyricoſque fuiſſe ſcribimus, objiciens Narbonam Galliæ, non Dalmatiæ urbem eſſe; eum ſcire velimus, duas apud Antiquos ejuſdem nominis urbes commemorari, re quidem, & nomine diſtinctas, Gallicam nempe Dalmaticamque. Gallica in Provincia Narbonenſi poſita nuſquam Narbona fuerat vocitata, bene vero Narbo Martius dici cognominarique quondam ſolebat. At Narbonam a Ptolemæo optime diſtinctam Antiqui ſemper Illyricam Dalmatiæ urbem intellexerant.

Præterea Naroniani Conventus dignitatem probant pervetuſtæ duæ Inſcriptiones, quas nos ipſi in Viddo Naronæ deprehendimus. Unam exhibent Marmora (1) noſtra Macarenſia, quæ ſic eſt:

OLYBIVS. AMEN.
L. L. IIIIII. VIR.

Altera fragmentum hactenus ineditum ſuppeditabit, quod ex Lapide comminuto, atque in atrio Oratorii noſtri expoſito nunc primum exſcribimus:

O. IIIIIIVIR
S. ACCEPTVS. F
PATRI
.V.F.ET.SIBI.ET
IS.

Ex quibus Inſcriptionibus Romanæ Antiquitatis peritus eruet, Naronianam urbem Romana Civitate fuiſſe donatam. Nova etiam vetuſtatis Naronianæ monumenta hic ſuperaddimus, ne pereant. Ea quidem licuit deprehendere in nuper habita hujus Diœceſis luſtratione: etenim cum in Viddo Naronæ conſtitiſſem, in prægrandi marmore ſic inſculptum vidi palmaribus litteris:

AESCLAPIO

Quæ inſcriptio probat, Æſculapium ſoſpitatis fabuloſum numen olim a Naronienſibus excultum.

Allatæ etiam fuerunt columellæ duæ in perpolito exciſæ lapide, quæ ſimul junctæ extitiſſe antiquitus videbantur, ſupernaque alterius excavatio demonſtrabat aliud quidpiam ſuperpoſitum, cum reſiduæ conſpiciantur hæ litteræ, quas ſic legas velim, *Libens Animo Solvit*.



(1) Anno 1789. Venetiis edita fol. 35. numero XXVII.

L. A. S

LVSIVS
FELIGIO
E.LVSI.SE
VERINI
LIBERT.P

Plures Luſios in Marmoribus noſtris commemoratos reperies. In Marmorum Fragmento N. XXX. fol. 35. habes C. LVSIVM. In Additionibus vero ad Marmora N. II. fol. 7. M. LVSIVS exhibetur. Sequitur alterius columellæ pene confractæ inſcriptio:

L. LAETILI
LIBER. P
EISDEM

Porro in urbibus Romana civitate ornatis mos erat ad inſtar Urbis loci rempublicam adminiſtrare. Sicut igitur Romæ juri dicundo præerat Senatus Populuſque Romanus, ita incolæ aliarum Civitatum partiebantur in Decuriones, & in plebem. Decuriones Senatum, populum plebs repræſentabat. Ex Decurionum numero quotannis communi omnium ſuffragio eligebantur IIViri, IIIIViri, aut IIIIIIViri, qui pro majori vel minori Civitatis, ſeu Coloniæ amplitudine, jus dicebant populo. Seviri ergo Naronam olim regebant, prout ex hiſce duabus Inſcriptionibus liquido apparet. Seviros nullibi forte in Dalmatia reperies, quam Naronæ, & Salonæ, ut in Marmoribus Salonitanis editis ab Clariſs. Franciſco Antonio Zacharia eſt videre. *In Coloniis* (1) *etiam ſupremus Magiſtratus erat, qui jus dicebat, ex ordine Decurionum lectus. Hi erant II. Viri Juri dicundo in parvis Coloniis, IIII. Viri in majoribus, qui Conſulum locum obtinerent. Veronæ ut in aliis Coloniis Tranſpadanis IIII. Viros fuiſſe* .... (2). Itaque Naroniana Civitas Verona profecto major erat, cum illius Magiſtratus Seviris, Veronæ autem IIIIViris conſtabat. Ad X. uſque ſæculum Narentanorum Rempublicam floruiſſe comperimus ex monumento, quod Clariſſimus Farlatus exhibet in ſuo Illyrico Sacro (3), quodque piam Narentanorum conſuetudinem recenſet, quo-

(1) Ait Panvinius lib. 2. cap. 86.

(2) Vide *Muſeo Moſcardo*, *Verona* 1672. pag. 75.

(3) Tom. I. fol. 482.

quotannis nempe per ſuos Legatos Sepulcrum S. Domnii Spalatenſis inviſendi, ac Senatus, Populique Narentani nomine non contemnenda munera eidem Sanctiſſimo Præſuli humiliter offerendi. Atque ex hucuſque adductis nemo ſanæ mentis non intelliget, quanta olim fuerit, quamque præclara Naronianæ urbis dignitas, & amplitudo.

His igitur præjactis fundamentis, ſupereſt, ut Diocletianum conſtituamus tandem Thermarum Naronienſium auctorem. Ipſe namque, retento ſibi perpetuo Dalmatiæ regimine, Naronianæ urbis, & regionis amœnitate & magnificentia illectus, minime quidem cenſendus eſt, ſe ab frequenti Naronianæ urbis luſtratione abſtinuiſſe, quam inviſere tam facili negotio poterat, cum non procul ab Salonis abeſſet, viaque publica ad Naronam pateret acceſſus, prout in hodiernam uſque diem perſpicuum ſit intuenti rotarum veſtigia lapidibus adeo impreſſa, quam ut tot ſæculorum, temporumque viciſſitudinibus deleri potuerint. Eapropter nullus ſupereſt nobis dubitandi locus, Diocletianum curru vectum Naronam frequenter inviſiſſe, atque ex aquis, quæ in *Prud* non longe ab eadem urbe exſiliunt, occaſionem ſumpſiſſe Thermas ædificandi, quod quidem libidini, & ingenio ſuo plurimum convenire ſatis oſtendimus.

Verum conjecturam hanc noſtram firmo quidem ſic judicandi fundamento innixam, penitus ruere contendit, qui forte nobis objiciet, tunc Chriſtianam fidem ab Naronianis egregie excultam impedimento ipſis fuiſſe, ne ſcilicet Diocletianeis Thermalibus balneis ibidem uterentur, ac proinde Thermas Naronianas nunquam ſubſtitiſſe. Quid adverſarium hocce argumentum evincat, judicent Logices periti: nos difficultatem hac profecto ratione diluimus. Ex Clementis Alexandrini ſententia colligimus, Thermas olim adhiberi ſolitas munditiei, caloris, ſanitatis, & voluptatis cauſa, Chriſtianis minime quidem interdictas extitiſſe, ſalvis tamen legibus pudoris, & honeſtatis. Nam Sanctiſſimi cæteroquin Viri Thermis uti non reformidabant, prout Polydorus (1) Virgilius de S. Joanne Evangeliſta narrat, qui cum ſe lavandi gratia in Thermas Epheſinas deſcendiſſet, conſpexiſſetque Cerinthum hæreticum ſe ibidem lavantem, ſtatim exclamaſſe fertur in hæc verba: *Fugiamus hinc, ne balneæ ipſæ corruant, in quibus Cerinthus lavatur veritatis inimicus.* Thermas quoque adhibitas fuiſſe legimus etiam a S. Gregorio Nazianzeno, qui de (2) ſe ipſo ſic fatetur: *Quoniam autem* (inquit) *longius me morbus provexit, & Xanxaridis Thermis de medicorum conſilio uti neceſſe eſt ...* Demum Monialibus ipſis Thermas adire licitum eſſe

(1) Lib. 8. cap. 4. (2) Epiſt. 77.

Digitized by Google

eſſe docet S. Auguſtinus (1): *Lavacrum* (ait) *etiam corporum, uſuſque balnearum non ſit aſſiduus, ſed eo, quo ſolet, intervallo temporis tribuatur, hoc eſt ſemel in menſe. Cujus autem infirmitatis neceſſitas cogit lavandum corpus, non longius differatur, fiat ſine murmure de conſilio medici, ita ut etiam ſi nolit, jubente Præpoſita, faciat quod faciendum eſt pro ſalute .... Nec eant ad balnea ... minus quam tres.* Chriſtianis ergo in Thermis ſe lavare licitum olim fuiſſe ſatis ſuperque ex adductis in rem conſtat. Naronianos vero, Diocletiano imperante, Chriſtianam religionem coluiſſe, ipſi quoque ultro fateamur neceſſe eſt, cum compererimus anno Chriſti 154., quo Imperator Antoninus Pius Reſcriptum dedit ad Populos, & Magiſtratus, quo præcipiebat, ne de cætero quemquam Chriſtiani nominis cauſa perſequerentur, Sanctum Venantium ſextum Salonitanum Epiſcopum paſtoralis Pontificiæ luſtrationis initium faciendum (2) cenſuiſſe ab urbe Narona. Regio igitur urbsque ipſa Naroniana longo temporis ſpatio ante Diocletianum Chriſtianis præceptis inſtituta tantum abeſt, ut veræ religionis cauſa Diocletianum a propoſito Thermas penes eorum urbem condendi deflexerit, ut potius judicandum ſit ibidem eo vel maxime eas exſtruxiſſe, quatenus nempe & Chriſtianos Naronienſes tali ædificiorum ſupplicio dire interimeret, & ultionem de ipſis caperet, quod pro Carino Imperatore eorum conterraneo adverſus Diocletianum ſtetiſſent. En pro ingenioli noſtri exiguitate Thermæ Diocletianeæ Dalmaticæ repertæ, atque evinctæ eo rationum momento, quod libentes volenteſque cenſorio Lectoris noſtri judicio ſubjicimus.

Tractatulum hunc de Ædificiis brevi rerum geſtarum hiſtoria conficientes, non abs re putamus pauca quædam hoc in loco interſerere, quæ ſplendidioribus quibuſdam lucis radiis illuſtrare valeant adumbratam veritatem in opella noſtra, cui titulus: *Marmora Macarenſia* fol. 32. ubi ex duobus Marmoribus Zaoſtrogenſis Oppidi vetuſtam celebritatem affirmavimus. Quoniam vero nobilium ædificiorum veſtigia antiquum locorum ſplendorem cogunt conjicere, nos poſteritati tradere ſcriptis noſtris conſtituimus quidquid licuerit ex recondito vetuſtatis theſauro depromere. Quare ne recens effoſſa in agro Eccleſiæ S. Barbaræ Virg. & M. contiguo depereant, lectores noſtros ſcire volumus, anno ſuperiore ibidem a notæ probitatis & dexteritatis religioſo viro Martino Deſpot, Obſervantis Provinciæ SS. Redemptoris in Dalmatia Excuſtode, & actuali Secretario, prægrandis cujuſdam Fani rudera fuiſſe conſpecta, quæ paulo

(1) In Regul. (2) Farlat. Tom. I. fol. 569.

lo diligentius excuſſa, æneam ſtatuam Minervæ, ſeu Palladis prodiderunt longitudinis unciarum ſeptem cum dimidio. Hanc nos oculis noſtris inſpeximus; atque ex ſcuto, & Ægidis Gorgonis, quæ ſtatuæ ſane pulcherrimæ ſcapulas & pectus contegit, pelle & facie, Minervæ figuram omnino repræſentare aſſeruimus. Dolendum quam maxime falſo huic Numini extremum lævæ manus deeſſe, qua prælongam tenuiſſe haſtam ex ipſius detruncatæ manus porrectione colligitur. Baſim pariter æneam, cui Minervæ ſtatua inſidebat, noſtris manibus contrectavimus, duoque itidem ænea candelabra ibidem reperta ob eximiam operis præſtantiam admirati ſumus, quibus antiqui contribules noſtri Dalmatæ in offerendis ſacrificiis utebantur. Minervam ſapientiæ, artium, bellorumque Deam a noſtratibus excultam quid, quam Dalmatas noſtros miro ſapientiæ, artium, ac potiſſimum pugnandi amore captos tunc temporis fuiſſe indigitat? Præſtat tandem ad poſterorum memoriam alia duo pulcherrima Romanæ vetuſtatis monumenta referre, quæ ejuſdem Zaoſtrogenſis Oppidi magnificentiam perbelle oſtendunt. Vigilantiſſimus Macarenſis Eccleſiæ noſtræ Antiſtes Fabianus Blaſcovich anno 1789. hanc ſui ipſius diœceſim luſtrando, die 28. Julii Briſt locum Zaoſtrogio ad duo circiter milliaria orientem verſus diſtans inviſit; cumque ad Eccleſiam Curatam S. Margaritæ Virg. & Mart. perveniſſet, hanc, quæ ſubjicitur, memoriam in Actis Paſtoralibus juſſit conſignandam.

*Die 28. Julii 1789. Briſt.*

*Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus D. D. Fabianus Blaſcovich Epiſcopus Macarenſis &c. Eccleſiam Curatam S. Margaritæ V. & M. egreſſus, cum in ſuperliminari portæ principalis conſpexiſſet Statuam quandam antiquam* ( ex vetuſtis Zaoſtrogenſibus ruderibus allatam ) *S. Joannis Baptiſtæ, ut affirmabant incolæ, figuram repræſentantem, eam ſollicitius intuitus, adhibitoque Sociorum S. Viſitationis conſilio, deprehendit, falſi numinis Pan ſtatuam fuiſſe, quæ ſuperioribus annis icta fulmine, confeſtim depoſita, manibus Domini Epiſcopi n fruſtula comminuta fuit.*

Alio in loco in Actis Viſitationis ejuſdem Epiſcopi ſic extat ſcriptum:

*Die 1. Auguſti 1789. Zaoſtrogii.*

*His* ( in Eccleſia Curata S. Barbaræ V. & M. ) *expletis, Dominus Epiſcopus deprehendit extare ſuper ſuperliminari portæ majoris ejuſdem Eccleſiæ Marmor antiquum, repræſentans Gladiatorum cer-*

*certamina*, *quod confeſtim contrivit*. Putabant enim ruricolæ finitimi, ac Oppidani Zaoſtrogenſes, eo antiquitatis monumento Martyrium S. Barbaræ exhiberi.

## C A P U T XIII.

### *De Ædificiorum Supplicio extra Illyricum, vel etiam in Illyrici finibus.*

AD exitum tandem perducturi excurſum hunc noſtrum, ſupereſt, ut de Ædificiorum Supplicio, quo Chriſtianos Diocletianus crudeliter affeciſſe cenſendus eſt in locis extra Illyricum, vel etiam in ipſis Illyrici finibus, pauca delibemus. Atque inprimis commemorare placet eas ſubſtructiones, quas Romæ condiderat Serenæ conjugi ſuæ, & Arthemiæ filiæ. Neque enim has Diocletianus minori dilectione proſequebatur, quam matrem Diocleam, aliamque uxorem, ac filiam, quibus, ut jam perſpeximus, Ædes magnificentiſſimas alteri prope Salonam, alteri Nicomediæ curaverat extruendas. Certe in Actis Sanctorum Caji, Gabinii, Sebaſtiani, aliorumque legitur, Serenam Diocletiani conjugem, Arthemiam ejuſdem Imperatoris filiam, alioſque ipſius conſanguineos Romæ in ædibus propriis laute, ac magnifice moram traxiſſe, eo ſane, quo quemque decebat ornatu, cultuque inſtructis. Commigraverat namque Romam Gens Valeria Salonitana, ex qua ortum duxit Diocletianus, ſub Probi imperio, Romæque rerum ſuarum ſedem ac domicilium collocarat: & ſi ſtatim non fuerit ei in Urbe res ſatis ampla, eam profecto poſt adeptum ab Diocletiano Romanum Imperium plurimum creviſſe ambigit nemo. Ingenium ergo ſuum, & inexplebilem ædificandi libidinem duro Ædificiorum ſupplicio Diocletianus præcipue oſtendiſſe dicendus eſt in amplificandis privatis conſanguineorum ſuorum Romæ commorantium domibus, quas ab Chriſtianis potiſſimum conſtructas non improbabili conjectura ducimur aſſerere (1). Romæ inſuper, ut ſcribit Vopiſcus (2), Diocletianus Scenam, quæ conflagraverat, magnificentiorem reddidiſſe ſcimus. Aurelius Victor (3) teſtatur de Diocletianeis ſubſtructionibus in hæc verba: *Mirum in modum novis . . . mœnibus Romana Culmina, & cæteræ urbes ornatæ, maxime Carthago, Mediolanum, Nicomedia*. Joannes Malala, qui Chronicon Alexandrinum confecit, in ſua Chronographia me-

(1) Farlat. Tom. II. fol. 356. (2) In Carino.
(3) De Cæſarib. fol. 623. edit. Aurelianen. 1623.

memorat moles ingentium Ædificiorum Antiochiæ conſtructas ab Diocletiano tendente ad bellum Perſicum; & eo bello confecto, caſtra ipſius juſſu paſſim per confinia extructa fuiſſe ab Ægypto uſque ad fines Perſicos, collatis ibi limitaneis militibus, & ducibus per Provincias conſtitutis, qui (1) eadem caſtra cuſtodirent. Anno 299. Thermas Mediolani, Palatium Aquilejæ, & Brixiæ, & Amphitheatrum Veronæ ab Diocletiano conditum ſcribit (2) Lydianus. In Phrygia Pacatiana Aſiæ nobilem Civitatem ſuo, quo ante Imperium appellabatur nomine, Diocletianus conſtruxit; & ſub Maximiani Imperatoris nomine in Bythinia (3) urbs ab eo condita fuit. Zoſimus (4) & Pancirolus affirmant, auctorem Diocletianum fuiſſe plurium ædificiorum, quæ excitavit in limitibus, Imperium vero ſuum ab eo munitum oppidis, caſtellis, & burgis, quibus etiam militares copias invexiſſe perhibetur, ne videlicet Barbari confines tranſire poſſent. Jornandes (5), & Tillemontius referunt, plura ab eo oppida conſtructa ſubſtitiſſe e regione Pannoniarum urbium, quæ Acincum, & Bononia nuncupabantur. Pariter inter Pannoniam, & Rutheniam quoddam conſtituit ædificium ex lapidibus porphyreticis ſatis excellens, quod (6) adhuc licet dirutum, magnum tamen inde tranſeuntibus ſpectaculum præbet. Ammianus Marcellinus (7) recenſet, Cercuſium Meſopotamiæ locum muris, turribuſque validiſſimis ab Diocletiano firmatum. Idem quoque (8) propugnaculis communivit Rhenum, Danubium, & Euphratem. Duæ, quæ etiamnum ſuperſunt, pervetuſtæ probant Inſcriptiones, quod *Calari* olim, nunc Gratianopolitanæ urbis mœnia, & ædificia Diocletianus (9), & Maximianus Auguſti reſtituerint. Celeberrimam apud veteres Palmyrenam urbem, cujus excidium contigit ſub Aureliano Imperatore anno Chriſti 273., quamque Procopius (10) exædificatam, & communitam ab Juliano dicit, Diocletianus ante Julianum magnificentiſſimis quibuſdam fabricis augendam, atque exornandam curavit (11).

Atque hæc ſunt, quæ de Supplicio Ædificiorum ſub Diocletiano ab Chriſtianis perpeſſo in unum nobis licuit coacervare. In litterario hocce noſtro itinere ulterius progredi, atque ad novas ſtationes

E Le-

(1) Chronol. Conſul. Cæſar. & Chriſtianor. Pontif. ad ann. 297. apud Blanch.
(2) Collectanea M. S. Riceputiana ſol. 18. (3) Andreas Dandulus Annal. lib. 4. cap. 8. n. 12. ex Codice Vaticano 5842. (4) Lib. 8.
(5) Part. 2. ſol. 364. (6) Andreas Dandulus loc. cit. n. 18.
(7) Lib. 23. (8) Vide *Crevier Tom.* 15. *pag.* 46. 47.
(9) Tillemont. rel. ab Crevier loc. cit. (10) De Ædific. lib. 2.
(11) Vide l' *Introduzione allo Revine del Palagio dell' Imper. Diocleziano del R. Adam Architetto.* 1764. *pag.* 5.

Digitized by Google

Lectorem noſtrum deducere vetamur extremo Bacchanalium dierum articulo. Excurſui ergo huic noſtro finem imponimus: exiguis vero hiſce ſcriptis eruditos quoſque Viros provocamus, ut quæ nos tenuiter adumbrata in lucem emittimus, ipſi ſua ſapientia, & eruditione caſtigent augeantque. Non noſmetipſos quærimus ſcriptis noſtris, ſed veritatem. Atque utinam ad eam, quæ prima eſt Veritas, cum veritate, & in veritate perveniamus.

F I N I S.

Digitized by Google

# D· M·

ΛLLIΛ· M· Λ·

P· ΤECONIΛ· C· T

IME· P·

Paucis ab hinc diebus Marmor hocce erutum ex pervetuſto Romanæ antiquitatis Sarcophago, in *Oneo* Peutingeriano, ſeu *Verulia* Porphyrogeniti reperto, opellæ huic ſuperaddere putavi, ne depereat. Habes in eo quo facilius, Lector, ALLIAM familiam cognoſcas. De Marco Allio Firmino nos breviter ſermonem feciſſe recordamur folio 13. Additionis noſtræ ad Marmora Macarenſia. Perſpicis in hoc Marmore ALLIAM filiam Marci Allii, ſororem vero Septimii Carpopori, eidem Marco Allio patri titulum poſuiſſe. Etiam TECONIÆ Marci Allii conjugis nomen deprehendis, quæ forte ſenectutis, vel ægritudinis pavore perculſa, timebat, ne citius quam cupiebat, marito mortuo copularetur.

# NOI RIFORMATORI

## *DELLO STUDIO DI PADOVA*

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. F. Gio. Tommaſo Maſcheroni* Inquiſitor General del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato, *De Supplicio Ædificiorum ſub Diocletiano Imperatore Excurſus Hiſtoriographo-Criticus*, *Ms.*, non vi eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo licenza a *Niccolò Coleti* Stampator *di Venezia* che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia e di Padova.

Dat. li 24. Maggio 1796.

( *Agoſtin Barbarigo Rif.*

( *Zaccaria Vallareſſo Rif.*

( *Franceſco Peſaro K. Proc. Rif.*

Regiſtrata in Libro a Carte 100. al Num. 20.

*Marcantonio Sanſermo Seg.*

Adi 31. Maggio 1796.

Regiſtrato a Carte 189. nel Libro eſiſtente nel Magiſtr. Eccellentiſs. contro la Beſtemmia.

*Giannantonio Maria Coſſali Nod.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google